BIBLIOTECA NAZ.E
111
H
19
NAPOLI

111
H
19.

Digitized by Google

Digitized by Google

83
S
31

Digitized by Google

THEOCRITI

IDYLLIA ET EPIGRAMMATA

LATINE CONVERSA

A

RAYMVNDO CVNICHIO

RAGVSINO.

OPVS POSTVMVM

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITVM.

R. B. B. NEAPOLIS
BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

PARMAE

EX REGIO TYPOGRAPHEO

M. DCC. XCIX.

Digitized by Google

EDITOR

AD LECTOREM.

Nonnulla ex hisce Idylliis Theocriteis, dum adhuc viveret eorum Interpres graece latineque doctissimus Raymundus Cunichius, aliquoties edita sunt. Reliqua vero, quotquot ab eius obitu reperire potuit vir eximius, eiusque discipulus amantissimus, Iosephus Marottus, nunc primum in lucem prodeunt. Idyllia porro XXII, XXIV, XXV *ac* XXVII, *quorum deest Cunichiana interpretatio, conversa hic exhibemus ab alio eiusdem discipulo ac conterraneo praestantissimo, Bernardo Zamagna, quae extant in editione graeco-latina Theocriti, Moschi ac*

Digitized by Google

Bionis, Parmae curata anno MDCCXCII *in Bodoniana typographia. Theocriti Epigrammata neque Cunichius neque Zamagna, quod quidem sciamus, latine reddidit, si quatuor illa excipias, quae multis ab hinc annis ipsemet Interpres Cunichius inter selecta Epigrammata Graecae Anthologiae publici iuris fecit. Quare nos operae pretium facturos esse putavimus, si illorum omnium interpretationem recuderemus, nec sane inelegantem nec ita divulgatam, quae mutuis curis Danielis Heinsii atque Hugonis Grotii confecta prodiit anno superioris seculi quarto ex Bibliopolio Commeliniano.*

Digitized by Google

THEOCRITI

IDYLLIA

LATINE CONVERSA.

Digitized by Google

IDYLLIVM I.

THYRSIS, AEPOLVS.

THYRSIS

Dulce sonant aurae, dulce haec fonti adsita pinus,
Aepole, dulce sonat tua fistula, digna secundae
Maenalium post Pana ferat quae praemia palmae.
Hircum si feret ille, capra donabere; capram
Si feret ille, horna donaberis ipse capella,
Horna, quae nondum peperit, quae dulcior esu est.

AEPOLVS

Dulce tuum, pastor, carmen mage, garrula quam quae
Aëria de rupe superne huc liquitur unda.
Munus ovem referent si Musae, munus habebis
Agnum; si malint agnum sibi ducere Musae,
Munus ovem niveam referes tu, dona secunda.

THYRSIS

Vis bone, per Nymphas, vis Aepole, stratus in herba
Heic clivo in molli, fragiles ubi verna myricas
Ventilat aura, leves de more inflare cicutas?
Dum canis, ipse tuas pascam tibi rite capellas.

Digitized by Google

AEPOLVS

Non fas est medio, non fas inflare cicutas,
Thyrsi, die; magnum metuo nam Pana: labore
Veuandi fessus nunc Pan cubat; asper, acerbus
Pan, sedet in summis cui bilis naribus atra.
Hanc potius, quando nosti, bone Thyrsi, dolores
Daphnidis, agrestisqne tenes fastigia musae,
Hanc concede ulmum subter, simulacra Priapi,
Fontauas contra et Nymphas; pastoribus apta
Heic sedes, heic et quercus: heic, Thyrsi, canentem
Audiero nunc te si carmen, quale canebas
Pastorem Lybiae contra Chromin, hanc tibi capram
Ter mulgere dabo: binos alit ubere foetns,
Bina simul niveo complet mulctralia lacte.
Addam alte insculptum calicem, ceraque liquente
Collutum, instructumque ansis extantibus, ipso
Nuper caelatum qui se testatur odore;
Cni virides hederae, cui luteolus amaranthi
Haeret flos labro in summo, croceoque virentes
Capreoli foetu serpunt ludente corymbo.
Interins sculpta est, opus admirabile, forma
Praestanti mulier, peploque indnta fluente,
Reticuloque comas flaventes vincta: minaci
Ore viri duo stant propter, torvumque tuentes
Alternis frustra iurgantur. Despicit illa
Atque hunc atque illum ridens, nec iurgia curat.
Hos iuxta scabro in scopulo piscator ad undam
Curvus per cautes festinat retia ducens.

Digitized by Google

Ille laboranti similis: namque omnia membra
Contendit nisu ingenti, colloque tumentes
Ostendit venas, senior; sed digna iuventa
Firma viri se vis cano sub vertice prodit.
Vinea non longe gravidis rubet aucta racemis,
Quam iuxta parvus servat puer, et sedet ipsam
Ad sepem. Heic geminae vulpes; quarum altera vites
Per medias cursans maturas deripit uvas;
Insidias peram ad pueri struit altera, nec se
Missuram incautum dicit prius, omnia furtim
Quam voret, ac misero fletum et ieiunia linquat.
Ille autem e culmo captandis pulcra locustis
Septa struit iunco nectens, nec pera nec uvae
Iam subeunt animo, textu sed gaudet inanì.
It calicem hac illac per totum mollis acanthus;
Plurimus upilio veniens quem visere gestit,
Qui tibi miranti suspendet lumina, Thyrsi.
Nauta tulit calicis pretium Calydonius orbem
Ingentem pressi lactis, pinguemque capellam.
Necdum etiam labro tetigi, sed conditus omni
Labe caret. Quem ferre tibi facilisque volensque,
Dulcis amice, dabo, referas modo amabile carmen.
Invideo tibi nil: agedum, bone; carmina quando
Non umbris, credo, immemori servabis et Orco.

THYRSIS

Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Thyrsis ego ex Aetna, Aetnaei Thyrsidis haec vox.
Quae loca, dum misere Daphnis tabescit, habebant

Quae loca vos, Nymphae? Pindusne, an Thessala Tempe?
Nam neque tum visae vitrei sub gurgite Anapi,
Non Aetna in viridi, sacra nec in Acidis unda.
    Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Illum etiam thoes, secla et flevere luporum,
Illum etiam sylva torvus leo flevit ab alta.
    Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Multae illi ante pedes vaccae, taurique iacentes,
Multae illi vitulae, multae adgemuere iuvencae.
    Iucipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Primus Atlantiades veniens de monte: quis, inquit,
Daphni, quis indigno miserum male perdit amore?
    Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Pastores venere, boum venere magistri,
Venit et upilio; quae te sic, Daphni, rogantes,
Quae miserum torquent curae? venitque Priapus:
Cur et, ait, misere tabescis, Daphni; nec umbrae
Te nemorum, nec te fontes, viridantia nec te
Prata iuvant; sordentque mei cum floribus horti?
Infelix! fletu assiduo cur lumina turgent?
Cur palles? quisnam dolor alto in pectore saevit?
    Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Haec illi; at pastor nil contra, moestus acerbo
Indulgens magis atque magis moriturus amori.
    Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmeu.
Venit ab Idalio ridens Venus, illa dolosum
Nescio quid ridens, at corde irata sub alto;
Atque ait: at certe iactabas nuper Amorem

Digitized by Google

Cessurum tibi, Daphni. Malo nunc cedis Amori?
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Cui Daphnis graviter suspirans: Cypri cruenta,
Cypri infesta hominum generi, saeva, improba Cypri?
Ergo mihi totus sol occidit? ast erit ipsum
Intra Orcum Daphnis dolor et grave crimen Amori.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Rursus adi propius Diomedem, et dicito: Daphnin,
Pastorem vici Daphnin; contendito mecum.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
O thoesque lupique ursique, horrentia dumis
Occultant quos lustra, valete: haud amplius usquam
Cernetis Daphnin per sylvas et nemora alta.
Tuque Arethusa, vale, fontesque et flumina, pulcrum
Quae pulcra fluitis lympha prope Thymbridis amnem.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Daphnis ego, huc pastum duxi qui ad gramina vaccas;
Daphnis ego, huc potum duxi qui ad flumina tauros.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
O Pan, Pan, gelidi seu nunc iuga celsa Lycaei,
Sive altum lustras nunc Maenalon, huc ades, o Pan,
Trinacrium ad litus. Helices, rex, ardua linque
Saxa, Lycaonidae mirum et dîs linque sepulcrum.
Desine bucolicum, Musa, ohe desine carmen.
Huc ades, huc, o rex; ferto hanc, pulcre apta recenti
Quae cera, mellis iucundum spirat odorem,
Molliter et labrum se circumflectit, avenam;
Ferto tibi: me saevus Amor iam trudit ad Orcum.

Desine bucolicum, Musa, ohe desine carmen.
Nunc violas iam ferte, rubi; ferto, aspera spina;
Fundite iuniperi narcissos pulcra comantes:
Cuncta secus fiant: exstincto Daphnide, pinus
Det pira; quaesitos cervi raptate molossos;
Montanaeque nlulae, philomelam vincite cantu.
Desine bucolicnm, Musa, ohe desine carmen.
Sic fatus fessum posuit caput: at Venus nlnis
Collapsum excepit, voluitque attollere, frustra,
Iam frustra. Nam cuncta illum fatalia fila
Defecere, nigram petiit Styga, mersus et atro est
Gurgite vir Musis, vir amabilis ille Napaeis.
Desine bncolicum, Musa, ohe desine carmen.
At tu da capram, calicem da mî, Aepole. Mulgens
Libabo Musis. Mnsae, salvete: iterum mî
Atque iterum salvete; alias meliora canemus.

AEPOLVS

Thyrsi, tibi formosa merum mel compleat ora,
Dulcibus et vescare favis, atque attide ficu;
Vincis et argutas dulci nam voce cicadas.
En calicem: ambrosium sentin', quem iactat, odorem?
Quippe suis lavisse putes iu fontibus Horas.
Huc ades, o Cissaetha: agesis, o Thyrsi, hanc tibi mulge.
Haedilli, saltu ne ludite. Iam lupus istam
Luxuriem veniens, ludum et compescet inanem.

IDYLLIVM II.

PHARMACEVTRIA.

Ocyus huc lauros fer, Thestyli, fer mihi philtra,
Pocula purpureae circumda haec vellere lanae:
Vir meus ut magicae vim sentiat artis, ademit
Quem mihi Amor, vexitque alio pernicibus alis.
Qui me nondum etiam duodena luce revisit,
Nec de me quidquam, sim viva an mortua, curat.
Cras Timageti visam festina palaestram,
Ludit ubi, faciamque viro convicia: cantu
Nunc magico experiar si possim flectere. Sed tu
Interea purum fulgeto, Delia; sacro
Carmine te affabor primam, Dea; teque sub alta
Regnantem tellure, Hecate, quam saeva canum vis
Horret per tumulos vadentem atrumque cruorem.
Salve, Hecate, incoeptumque favens, Dea magna, secunda;
Nostra haec ut Circes ne cedant pocula succis,
Ne vel Medeae, ne vel flavae Perimedae.
Rhombe, malum trahe, rhombe malum ad mea limina Delphin.
Vruntur salsae fruges. Age, Thestyli, sparge,
Sparge molam; infelix, abiit quo mens tua longe?

Digitized by Google

An miseram me tuque tibi facis improba ludum?
Sparge simul, simul et dic: spargo Delphidis ossa.
Rhombe, malum trahe, rhombe malum ad mea limina Delphin.
Delphis me malus urit; ego hanc in Delphide laurnm.
Laurus ut haec magnum crepuit, flammataque in ignem
Continuo versa est, cinerem nec cernimus ipsum;
Sic totum indomitus Delphin male torreat ardor.
Rhombe, malum trahe, rhombe malnm ad mea limina Delphin.
Igne liquefacio ceram hanc en auspice Diva.
Sic, Dea, sic nostro liquatur Delphis amore.
Rhombus ut hic rapido se turbine versat ahenus;
Attonitus sic ille meo se in limine verset.
Rhombe, malum trahe, rhombe malum ad mea limina Delphin.
Fnrfuris hoc libo tibi, Delia: flexeris ipsa
Infernumque adamanta, et si quid durius ipso est.
Audistine? canes ululant: Dea furva propinquat;
In triviis Dea furva: aes aes age, Thestyli, pulsa.
Rhombe, malum trahe, rhombe malum ad mea limina Delphin.
Nunc placidnm late silet aequor, nunc silet aura:
Non silet haec sed cura meo sub pectore gliscens.
Namque virum deserta voco et male prodita, qni me
Sic viduam sola digressus liqnit in aede.
Rhombe, malum trahe, rhombe malum ad mea limina Delphin.
Ter libo, Dea magna, ter haec non irrita dico:
Iam, qnocumque calet, iam deserat immemor ignem;
Non minus, ignoto quam Diae in litore Thesea
Oblitum perhibent flavam crines Ariadnen.
Rhombe, malum trahe, rhombe malum ad mea limina Delphin.

Digitized by Google

Arcasin hippomanes planta est, gustata furore
Quae subito stimulat montes armenta per altos.
Sic Delphin videam insanum similemque furenti
Ex nitida huc rapido cursu adventare palaestra.
Rhombe, malum trahe, rhombe malum ad mea limina Delphin.
Delphidis ex ima lapsa est haec fimbria veste:
Hanc ego divelloque manu, doque ignibus. Eheu!
Heu, crudelis Amor, nostro de pectore totum
Hausisti, veluti fluvialis hirudo, cruorem.
Rhombe, malum trahe, rhombe malum ad mea limina Delphin.
Cras tibi pharmaca nigra feram tritamque lacertam,
Thestyli. Nunc succos hosce accipe, et illine limen
Illius, inspergens, limen quod prodita servo,
Cui teneor constricta, licet me negligat ille;
Et spue, dicque spuens: en spargo Delphidis ossa.
Rhombe, malum trahe, rhombe malum ad mea limina Delphin.
Illa abiit: sum sola: meas nunc unde querelas
Ordiar? hanc miserae quis mî cladem intulit auctor?
Sacra canistra ferens Eubulis venit Anaxo
Huc ad nos, Triviae in lucum; visenda ferarum
Magna ubi pompa ibat: quas inter fulva leaena.
Disce mei causas, disce, o bona Luna, furoris.
Theucharileque adeo nutrix me Thressa vocavit
Mortua iam, tum cara mihi vicina, paratae
Spectaclum ad pompae: quam Dìs invisa sequebar
Bysso culta fluente, gerens pallam Clearistae.
Disce mei causas, disce, o bona Luna, furoris.
Dum via qua ducit, gradior prope tecta Lyconis,

Digitized by Google

Formosum Delphin formosumque Eudemippum
Conspexi e nitida redeuntes forte palaestra,
Insignes roseisque genis flavoque capillo.
Disce mei causas, disce, o bona Luna, furoris.
Vt vidi! ut perii malesana! ut saucia curis
Pectus eram! coepitque vigens tabescere formae
Protinus ille nitor; nec pompae iam super ulla
Cura fuit, nec quaeve domum sim, quave reversa
Commemini; morbo sed conflictabar acuto
Bis quinas luces, bis quinas languida noctes.
Disce mei causas, disce, o bona Luna, furoris.
Oraque pallebam thapso magis, et mihi toto
Paullatim crinis de vertice lapsus abibat.
Dira artus macies adduxerat, ossaque tantum
Duraque restabat cutis aegrae. Cuius ad aedes
Non misera adrepsi? Quae me non multa precantem
Vidit anus, morbos docta excantare morantes?
Nil cuncta expertae melius fuit. Hora fluebat
Interea fugiens incassum praepete lapsu.
Disce mei causas, disce, o bona Luna, furoris.
Quid iam plura sequor demens? Quid saeva retracto
Vulnera? tu seriem tu rerum ex ordine totam
Scis, Dea, scis; magni nostis namque omnia Divi.
Parce mei causas iam quaerere, Luna, furoris.
Queis iuvenem ambivi precibus! Quo laeta hymenaeo
Felicem, infelix, tali me coniuge dixi!
Impius ah viduam qui me pro coniuge fecit;
Nec dum etiam (heu facinus!) duodena est luce reversus.

Digitized by Google

Quippe alio captus, miseram fastidit, amore,
Captus amore alio: narravit quod mihi verax
Huc veniens trepide nondum orto sole Philistae
Atque Melixonis mater. Nunc ergo fugacem
Experiar philtris iuvenem reprendere. Quod si
Aufugiet rursus, Parcas immitia testor
Numina, tabescetque, fores pulsabit et Orci.
Talia in hac nobis latitant mala pharmaca cista,
Assyrius quae me docuit miscere viator.
At tu candida salve, et equos, Dea, tinge sub alto
Oceano: ipsa feram, coepi quos ferre, dolores.
Salve, Luna nitens candenti corpore, vosque
Salvete, o placidae comites vaga sidera noctis.

Digitized by Google

IDYLLIVM III.

AMARYLLIS VEL COMASTES.

Viso meam huc adiens Amaryllida. Celsa vagantur
Per dumeta caprae: servat mihi Tityrus illas.
Tityre, dulce caput, quas linquo, pasce capellas;
Ad fontem et pastas duc, Tityre; neu caper alto
Te Libycus Cnacon cornu petat iste caveto.
O Amarylli, cavo cur me non prospicis antro,
Vt prius, atque tuum dicis cor? Num tibi, Nympha,
Displicui prope conspectus, coepique videri
Simusque hirsutusque? miser fastidia propter
Haec tua iam laqueum facies mihi denique nectam.
Poma decem, qua me iussisti, ex arbore lecta
Ecce fero: mens est totidem cras altera ferre.
Aspice, qui miserum cruciat dolor. O ego parvam
Nunc in apem verti possem, rupemque subire
Quam colis, atque hederas inter filicemque meare,
Quae circumque tibi supraque umbracula texunt.
Nunc scio quid sit Amor. Gravis est Deus; editus inter
Horrida lustra, fero nutritus lacte leaenae.
Qui secat usque meas, figitque uritque medullas.

Dulce tuens, nigrisque oculis, nigroque capillo,
Pulcra Amarylli; sinu sed dura et saxea toto;
Cur pateris longis hic me tabescere curis?
Verbo moestum aliqno cur non solaris amantem?
Est quiddam in verbis aegrum quod lenit amorem.
Iam coges haec me subito concerpere serta,
Haec tibi uti placeam quae gesto, plexa virenti
Ex hedera atque rosa atque apio beneolentia serta.
En quid ago? misero quid restat? dura nec audis?
Iam praeceps, tergo haec exutus vellera, salsos
Desiliam in fluctus, thynnos ubi decipit Olpis.
Quidqnid erit, nostro laetaberis, effera, casu.
Novi ego te, novi. Quaerenti nuper amares
Men' vere, allisum nullo crepuisse sonore,
Sed cubito in molli vidi marcere papaver.
Praeterea Agraeo, spicas conducta legebat
Quae nuper, moto verax quae pandere cribro
Cuncta solet sortes poscenti: tu miser, inquit,
Vsque foves illam totus, te despicit illa.
Sed tamen hanc servo capram tibi, tergore candet
Quae niveo, ac pleno geminos alit ubere foetus.
Illam fnsca genas Mermnonis Erithacis usque
Poscit; iamque feret, quoniam tu me, impia, lndis.
En salit, en oculus dexter mihi. Nympha videndam
Sene dabit? Pinum cantabo acclinis ad illam.
Aspiciet fors me (non est adamantina) tandem.
Innuptam procus Hippomenes poscens Atalantam
Poma tnlit iaciens cursor citus: illa repente

Digitized by Google

Vt vidit, petiitque furens atque arsit amore!
Ipse Pylum ex Othri vates armenta Melampus
Egit. Nonne thoro confestim iuncta Bianti
Cordatae formosa parens fuit Alphesiboeae?
Non ipsam in furias Cytheream flavus Adonis
Egit monte pecus pastor dum servat in alto?
Non et adhuc iuvenem luget dea pulchra peremptum?
Quid bonus Endymion, somno cui strata perenni
Membra iacent? quidve Iasion, cui munere divum
Contigit id, cupitis quod frustra audire profani?
  Heu caput heu doleo: tu nil me, carmina curas
Nil mea. Iam taceo, toto iam corpore sternar
Fusus humi; fiamque lupis immitibus esca.
Cernes; idque tibi complebit guttura melle.

IDYLLIVM IV.

PASTORES.

BATTVS ET CORYDON.

BATTVS

Hae, Corydon, vaccae cuiae sunt? anne Philondae?

CORYDON

Non; verum Aegonis: pascendas mî dedit Aegon.

BATTVS

Dic mihi, ubi cunctas clam sero vespere mulges?

CORYDON

Ipse senex vitulos submittit, et omnia servat.

BATTVS

Quonam abiit subito linquens armenta bubulcus?

CORYDON

Pulcra virum Milon Alphei ad flumina duxit.

BATTVS

Ecquando ille oleum vidit duramque palaestram?

CORYDON

Dicitur Alcidae magno par viribus esse.

BATTVS

Me quoque dicebat mater Polluce priorem.

CORYDON

Bisdenasque abiens agnas tulit atque ligonem.

BATTVS

Egerit in rabiem Milon genus acre luporum.

CORYDON

Illum optant gemitu complentes rura iuvencae.

BATTVS

O infelices! pastor malus obtigit illis.

CORYDON

Certe infelices; iam gramina carpere nolunt.

BATTVS

Huic vitulae iam sola supersunt ossa: cicadas
Vt perhibent, num rore illam victare putandum est?

CORYDON

Non hercle. Aesarum nunc illam propter amoenum
Pasco, nec foeni cesso praebere maniplos;
Nunc viridis ludit sylvosa in valle Latymni.

BATTVS

Ille etiam taurus macer est. Obtingere talem
Lampriadum cupio genti, Iunonia sacra
Quum celebrat: namque est mala gens, nec commoda cuiquam.

CORYDON

Et tamen ad Stomalimnum agitur, Physcique virentis
Ad iuga, Neaethique in saltus, cuncta ubi rident
Aegypiro cnizaque et odorifera melitea.

BATTVS

Aegon ah male caute! ibunt armenta sub Orcum,
Insanis dum tu palmae infelicis amore;

Atque situ sordet, quam struxti nupér, avena.

CORYDON

Non sordet, Nymphas testor: nam liquit habendam
Ille mihi, Pisas abiens. Inflare cicutas
Doctus ego: canto et Glauces et carmina Pyrrhi;
Laudo florentemque Crotona. Vrbs clara Zacynthos
Scilicet, Eoumque Lacinion; olim ubi solus
Octoginta Aegon fertur ientasse placentas;
Atque pede arreptum traxit de monte iuvencum
Ille suae donans Amaryllidi. Magna puellae
Clamarunt: risit laetanti corde bubulcus.

BATTVS

O formosa Amarylli! tui non immemor umquam
Battus erit cineris: crudeli heu perdita letho,
Pulcra Amarylli, meis fato es mihi rapta capellis
Carior. Heu miserum quo fors mala perculit ictu!

CORYDON

Dulcis Batte, decet confidere. Crastina surget
Lux melior. Vivo spes plurima, nulla sepulto.
Nunc ciet, effusos nunc sistit Iuppiter imbres.

BATTVS

Fido equidem.... Vitulos age deorsum: cernis olivae
Vt viridis carpunt ramos? heus, cede, Leparge.

CORYDON

Cede, Cymaetha, istinc ad montem, perge. Nec audis?
Iuro Pana, malo mactabere, ni procul istinc
Abscedis. Viden', ut repit mala rursus eodem?
O utinam, quo terga dolem tibi, fustis adessét!

BATTVS

Cerne, Iovem, Corydon, per magnum; ſixa sub imum est
Nam mihi spina pedem. Proh! carduus asper ut alte
Vulnus agit! male sit vitulae: dum totus in illa
Sum, pressi vepres: aciem contende: videsne?

CORYDON

Nae nae illam arripui summis pulcre unguibus. Eccam.

BATTVS

O Pan magne! virum domat en res quantula quantum!

CORYDON

Nudus, Batte, pedes montes ne incede per altos:
Rhamnique aspalathique altis in montibus horrent.

Digitized by Google

IDYLLIVM V.

VIATORES SEV BVCOLIASTAE.

COMATAS ET LACON.

COMATAS

Pastorem Lacona meae vitate capellae,
Qui mihi sublegit brumalia tegmina, pellem.

LACON

Cedite, oves, moneo, procul hinc a fonte: Comatam
Cernitis, ablata est a quo mihi fistula nuper?

COMATAS

Fistula? serve, tibi fuit unquam fistula? culmo
Non sat habes Corydona sequi stridente secundus?

LACON

O liber, fuit; illa, Lycon quam mî dedit olim.
Sed tibi quam Lacon, dic, pellem sustulit: ipse
Cuius herus nunquam substrata in pelle cubavit?

COMATAS

Quam Crocylus variam dedit olim, sacra capella
Cum faceret Nymphis; doluisti lividus, et me
Tandem sublato liquisti tegmine nudum.

LACON

Littoreum iuro tibi Pana, Calaethidis illa
Filius haud liquit nudum te pelle: furens hac,
Si fallo, insiliam de rupe in Crathidis undas.

COMATAS

Per tibi ego Nymphas iuro, quae stagna frequentant,
(Sic nunquam mihi non faveant facilesque bonaeque)
Nec tua sublata est, nec fistula visa Comatae.

LACON

Si credam, patiar miseri mala Daphnidis. At tu,
Si placet, hic haedum deponito: non sacer ille.
Carmine certabo dum fessus dixeris ohe.

COMATAS

Sus quondam fertur contra certasse Minervam.
En haedum: pinguem depone at protinus agnum.

LACON

Aequa vafer poscis. Setas tondere quis unquam
Sustineat molli pro lana, proque vigentis
Lacte velit caprae sibi lac mulgere caninum?

COMATAS

Cui, tibi ut est, fuerit certae fiducia palmae,
O vespa argutae certans stridore cicadae.
Incipe: si minor est haedus, deponimus hircum.

LACON

Ne festina: igni non ureris. Huc age agrestem
Hanc oleam subter cantabis dulcius umbra
In nemorum. Hic gelidus fons est; hic alta virentes
Herba toros praebet; resonant hic arva locustis.

Digitized by Google

COMATAS

Nil ego festino: crucior magis, improbe, rectis
Quod me oculis audes spectare, atque hiscere contra,
Quem docui puerum. Solvis hoc nempe minerval.
Pasce lupos, et pasce canes: tua membra vorabunt.

LACON

Abs te ego, si memini, nunquam pulcrive bonive
Audivi aut didici, vir foede atque invide, quidquam.
Verum ades, huc adrepe; deinde alterna canemus.

COMATAS

Haud equidem. Hic celsae quercus, hic densa cyperus,
Hic et apes gratum propter sua tecta susurrant;
Hic duo sunt gelidi fontes; hic multa per omnes
Garrit avis ramos. Non umbra est scilicet isti
Assimilis, pinusque ea conos deiicit altos.

LACON

Agnorum hic pelles niveas et vellus ovillum
Somno molle magis veniens calcabis: at istic
Tergora caprarum graveolentia te magis ipso.
Huc ades: hic statuam nymphis duo cymbia, lacte
Hoc niveo, hoc plenum flaventi stabit olivo.

COMATAS

Veneris huc, filicemque premes et mollia florum
Germina sub pedibus: caprarum terga sedenti
Substernam, vincant quae lanas terque quaterque.
Huc ades: hic statuam Pani octo cymbia lactis,
Et totidem lances cerasque et mella gerentes.

Digitized by Google

LACON

Ergo istinc certa; iacta istinc carmina. Iudex
At quis erit? venias huc opto, bubulce Lycopa.

COMATAS

Nil opus ille mihi est. Qui deiicit iste myricas
Te prope lignator nos Morson audiat opto.

LACON

Ergo vocemus.

COMATAS

Quin tu arcessas?

LACON O bone, paullum
Huc ades, atque audi. Certamus, carmine praestet
Vtri uter. O Morson, mihi nec, largire nec illi
Quidquam; fac sedeas, ut te decet, aequus utrique.

COMATAS

Nae nae per Nymphas, Morson, tu neve Comatae
Neve isti quidquam da verum praeter et aequum.
Credit oves illi Sybarites Thurius, hocce
Vt mihi caprigenum pecus Eumaras Sybarites.

LACON

Iupiter ut semper garris male! Nemo rogabat
Quem pasco meus an grex hic foret anne Sybartae.

COMATAS

Vera loquor quae sunt; non stulte glorior ut tu,
Atque malas fraudes vana et mendacia necto.

LACON

Dic age, si quid habes: hinc ut dimissus in urbem
Hospes eat vivus: pto dii, quam garrulus usque es!

COMATAS

Carus ego Musis dio plus Daphnide: Musis
Nuper ego geminas mactavi rite capellas.

LACON

At me Phoebus amat: villosus pascitur illi
Nunc aries a me, nam Carnea laeta propinquant.

COMATAS

Mî veniunt caprae bis foetae ad mulctra. Puella
Vidit, et has, inquit, mulges tute ipse, Comata!

LACON

Laconi calathos bis denos caseus implet,
Et puer arridet formoso candidus ore.

COMATAS

Malo me Clearista petit; praeterque meanti
Dulce aliquid semper furtivo admurmurat ore.

LACON

At mihi sese ultro Cratidas fert obvius, ignis
Ille meus, cui pulcra micant per colla capilli.

COMATAS

Stulte rubum tristem quid confers aut anemonem
Idalio, sepes ornat qui murice, flori?

LACON

Demens quid glandi componis poma? probatur
His tenuis cortex, referunt haec mella sapore.

COMATAS

Iunipero vidi quam nuper condere sese,
Abripiens nido mittam tibi, pulcra, palumbem.

Digitized by Google

LACON

Mollem, pulcre, tibi maturo tempore lanam
Vellus ovis nigrae tondens in pallia mittam.

COMATAS

Ite procul, procul ite oleastro: hunc pascite, caprae,
Declivem ad tumulum, surgunt qua parte myricae.

LACON

Non procul a quercu tu, Conare, tuque Cynaetha
Itis contra ortum, pascit qua parte Phalarus?

COMATAS

Est sinusque mihi cyparissinus, et scyphus ingens
Praxitelis caelo; servo quae dona puellae.

LACON

Mì canis est custosque ovium terrorque luporum.
Hunc puero donabo, feras ut ducat in omnes.

COMATAS

O nostram solitae sepem transire locustae,
Parcite nunc: tenero pubent nunc germine vites.

LACON

Parva cicada, vide pastorem ut voce lacesso,
Iratos ceu tu messores voce lacessis.

COMATAS

Odi ego caudatas vulpes, vineta Myconis
Quae subeunt, raptosque vorant sub nocte racemos.

LACON

Odi et ego virides scarabeos, ore Philondae
Qui ficus terebrantque avidi, striduntque per auras.

Digitized by Google

COMATAS

Numne subit cum te pulsavi, cumque gemebas
Dorsum agitans, quercumque haerens tremefactus ad illam?

LACON

Istorum haud memini quidquam, sed vincla ferentem
Te memini, Eumaras dominus cum fuste dolavit.

COMATAS

Iam quidam (Morson, sensistin'?) bile tumescit.
I citus, et vetulas scyllas evelle sepulcro.

LACON

Ipse etiam pupugi quemdam male. Halenta profectus
Ocyus huc, Morson, effossum fer cyclaminum.

COMATAS

Pro lymphis lactem ferat Himera, tu quoque, Crathi,
Vina feras rubicunda, ferant iunci aurea poma.

LACON

Et mihi melle fluat Sybaritis: mane puellae,
Cum veniet de more, favis ut compleat urnam.

COMATAS

Vsque meae salicem carpunt cythisumque capellae,
Iuncoque arbuteoque iacent sub nocte cubili.

LACON

Vsque meis apiumque ovibus silvestre, rosaque
Ipsa florentes hederae non parcius adsunt.

COMATAS

Non fas est cantu picas dulci philomelae,
Non cycnis certare upupas. Iam desine tandem.

Digitized by Google

MORSON

Desine iam, custos ovium. Tibi, docte Comata,
Agnam dat Morson; Nymphis tu sacra secundis
Cum facies, partem fac mittas protinus olli.

COMATAS

Mittam equidem per Pana. Io! grex nunc fremat omnis
Hircorum. Hunc audi interea quantum ipse cachinnum
Sustollam contra Lacona, quod obtigit agnus
Hic mihi. Iam saltu caeli super ardua scandam.
Fidite cornigerae, mecum et gaudete, capellae:
Vos ego cras omnes Sybareo in fonte lavabo.
Heus Leucita, fero cornu iam parce capellas
Appetere incursans. Ni parcas ante litarim
Quam Nymphis agnum, feriam te. Rursus at ecce
Incursat: feriam ni te malesane, Comatas
Ne vocer, incipiamque Melanthius ipse vocari.

Digitized by Google

IDYLLIVM VI.

BVCOLIASTAE.

DAMOETAS ET DAPHNIS.

DAMOETAS

Damoetas, o Arate, boves et Daphnis in unum
Compulerant. Rufus Damoetas, Daphnis et ora
Vix prima florens lanugine. Stratus uterque,
Dum caeli medium pulsat sol igneus orbem,
Ad gelidam aestiva sic fontem luce canebant.
Coepit ibi haec cantu prior, ut certamine, Daphnis.

DAPHNIS

Flava gregem, Polypheme, tibi pomis Galatea
Ecce petit; procul et convicia iactat, amorem
Atque tuum ludens et rustica munia ridet.
Tu, miser heu, nympham nondum adspicis, heu miser; atque
Dulce sedens tereti meditaris carmen avena.
Ecce canem rursus petit (adspice), quae tibi fida
Pone subit custos ovium. Saevis furit illa
Caerula prospiciens latratibus; aequoris illam
Vnda refert placidi currentem litore in ipso.

Irruat invadens nymphae ne crura videto,
Neve fero pulcram laniet canis aspera morsu,
Dum cano egreditur fluctu. Nunc ludit in undis;
Qualis ubi ad Zephyrum sicci coma ludit acanthi,
Aridulam rapidis quam torret solibus aestas:
Alternansque fugit cupidum, cupit atque fugacem,
Vsque levem ductans ultro citroque lapillum.
Sic amor est, Polypheme; solet non pulcra, Cupido
Fervet ubi gliscens in pectore, pulcra putare.
Haec Daphnis: contra Damoetas talibus infit.

DAMOETAS

Vidi equidem, per Pana, gregem cum nympha petebat.
Non me, non oculum dulcem hunc unumque fefellit
(Qui mî, oro, videat semper; diramque minatur
Quam vates cladem mihi Telemus, inque paternam
Ipse domum ferat, et servet natisque sibique).
Sed, quae me toties pupugit, pungo ipse vicissim;
Nec specto; dicoque aliam me nuper adeptum
Nympham. Ast illa furit, tabescitque invida; ponto
Et subito exiliens circumspicit antra gregesque.
Iussi etiam latrare canem; quae, donec amavi,
Occursare illi rostroque ad corpus adacto
Semper adulari gannitu blanda solebat.
Haec iterum atque iterum faciam, dum miserit ultro
Qui pacem exoret, quem limine pellere certum est,
Connubio mecum iungi ni spondeat ipsa.
Non sum adeo informi quam dicor scilicet ore.
Nuper ego inspexi pronus mare (strata silebant

Aequora). Pulcra fuit barba haec, me iudice; pulcra
Vnica et haec visa est, per divos, pupula; dentes
Pulcrius et Pario cernebam fulgere saxo.
Inque sinum, invidiam veritus, ter despui, ut illa
Edocuit me cana Cotyttaris, Hippocoonta
Quae modo apud cantu messoribus una praeibat.
Talia Damoetas, Daphnim et complexus, avenas
Donavit: contra cui reddita tibia dono est.
Hanc subito inflavit Damoetas: Daphnis avenas
Inflavit contra. Mira dulcedine tactae
Saltabant agiles per gramina laeta iuvencae.
Neuter erat victor, sed cantu invictus uterque.

IDYLLIVM VII.

THALYSIA SEV VERNVM ITER.

Nuper ego atque una mecum Eucritus ibat Halenta,
Tertius et patria comes urbe egressus Amyntas;
Nam Cereri de more Thalysia tunc Phrasidamus
Et bonus Antigenes solemnia forte parabant.
Ambo progenies Lycopeos incluta: magni
Si quid adhuc Clitiae claro de sanguine restat
Chalconisque; genu rupi qui adnixus ab imo
Bureum expressit fontem: quem multa virenti
Populus atque ulmi cinxerunt protinus umbra,
Et fecere nemus diffusa fronde comantes.
Nondum iter ad medium progressis, busta videri
Cum Brasilae necdum inciperent, inventus eadem
Ire Cydon quidam, bonus et vir, carus et idem
Musis; cui nomen Lycidas, caprarius: ipso
Quod facile adspectu posses cognoscere. Dorso
Nam fulvas hirci exuvias, atque horrida setis
Tergora gestabat presso redolentia lacte:
Et veterem ad pectus cohibebat fascia peplum
Textilis: agresti curvatam dextra gerebat

Digitized by Google

Ex olea clavam. Risu qui dulcia labra
Diducens, laetumque tuens (nam risus in ore
Illi semper inest) vultu sic fatus amico est.
Simichida quo care pedem fers, igneus axe
Dum Sol in medio fervet? Nunc aspera somnum
Ipsi etiam carpunt subter spineta lacerti;
Cristatae nec iam per rura vagantur alaudae.
Num quis te ad coenam subito vocat? an ruis uvas
Quo te aliquis misit calcatum civis ab urbe?
Nam, dum festinas celeri pede concitus, omnes
Offensi resonant tibi sub perone lapilli.
Ille mihi haec: laetus respondi talia contra.
Care mihi Lycida, pastores diceris inter
Messoresque unus tenues inflare cicutas
Vt nemo. Id gratum est certe mihi: nec tamen idem
Despero me posse tuas aequare cicutas.
Nunc iter est nobis ad festa Thalysia; amici
Namque viri de more dapes atque annua pulcrae
Sacra parant Cereri, pleno de rure daturi
Primitias frugum divae, quae semina large
Auxit, et immensas congessit in horrea messes.
Verum age, quando eadem lux et via ducit utrumque,
Alternis canito mecum: fortasse iuvari
Alter ope alterius poterit: nam mî quoque Musae
Ora cient: dicor vates pastoribus esse
Optimus e cunctis: sed non ego credulus illis;
Non hercle. Haud etenim praestanti vincere cantu
Sicelidamve queo Samium dulcemve Philetam:

Rana sed argutis videor contendere gryllis.
Haec dixi pro re ludens: arrisit at ille,
Hoc et ait iam iamque pedo donabere, germen
O manibus totum finxit quod Iupiter ipse.
Odi ego vel fabrum stultus qui attollere tectum
Aequum verticibus celsi parat Oromedontis,
Pierias et aves, Chium quaecunque poëtam
Contra nequidquam vano stridore laborant.
Verum age, tolle moras; dicamus carmina tandem,
Simichida. Prior ipse canam (fortasse probaris)
Hoc breve quod nuper meditans in monte polibam.
Cursus erit felix Mitylenen Ageanacti
Tunc etiam, occiduis fluctus ciet efferus undis
Cum Notus, atque pedes in gurgite lavit Orion,
Si tamen indomito Lycidam bonus eximet igni.
Nam miser illius flagro succensus amore.
Alcyones pontum sternant fluctusque Notnmque
Extremasque Eurum fundo qui concitat algas;
Alcyones glaucis carae Nereisin ante
Omnes, praedae instant qnae per vada salsa, volucres.
Cnncta meo facilem cursum dent Ageanacti,
Dum tuto incolumis condat se denique portn.
Illa ego luce caput beneolenti vinctus anetho
Sive rosa violave alba, Pteleatica, magnum
Cratera in medio statuens, et stratns ad ignem
Fundam vina: fabas aderit qui torreat igni.
Subter membra torus cubitnm stipatus ad ipsum
Cnyzaque asphodeloque, et mollis fronde selini.

Digitized by Google

Tum cupide labrum affigens ac suaviter, amplos
Siccabo ad faecem calices memor Ageanactis.
Tibia nec deerit, quam lacta ad vina cubanti
Inflabunt gemini pastores, alter Acharnan
Atque Lycopitas alter; quos, carmina, iuxta,
Voce canet liquida mihi Tityrus: ille bubulcus
Vt magno Xeneae Daphnis flagravit amore,
Erravitque amens in solis montibus, utque
Himerias propter ripas et amoena fluenta
Durae illum flernnt concusso vertice quercus:
Cum veluti nix in celso tabesceret Haemo
Aut Atho aut Rhodopen supra, aut in Cancaso alto.
Vtque alius magnam quondam est inclusus in arcam
Vivus adhuc pastor vesani ad iussa tyranni.
Atque ut apes densae e pratis ad septa volantes
Cedrina florum almo clausum pavere liquore,
Cui dulce os multo complerant nectare Musae.
O felix, haec mira tibi sunt facta, Comata;
Tuque cava inclusus cedro es, tu melle liquenti
Pastus apum toto latuisti imperditus anno.
O mihi tum fato divûm si vita fuisset!
Pavissemque tuas tecum alto in monte capellas,
Audissem et carmen, quod pinu dulce sub alta
Seu quercu recubans caneres, divine Comata.

Haec ille: orsus ego carmen cui tale vicissim.
Multa quidem, Lycida, montes armenta per altos
Me quoque pascentem Nymphae docuere, supremi
Quae Iovis ad solium fors nisu Fama volucri

Pertulit: hoc unum sed enim longe omnia praestat,
Hoc tibi quod laetus nunc ordiar. En age, Musae
Namque tibi faciles adspirant, haec bonus audi.
Simichidae magno laetum chorus omnis Amorum
Sternuit. Ille suam Myrto tam diligit, almi
Veris amant simae quam tempora prima capellae.
At desiderio absentis tabescit amici
Ipsius ille bonus fidusque sodalis Aratus:
Optimus ille virûm. Vera haec dici scit Aristis,
Virque idem et vates longe optimus, ipse canenti
Ad tripodem magnus cui credo assurgat Apollo;
Scit longe absentem miser ut suspiret amicum.
Hunc tu Pan, Homoles cui prata patentia curae,
Redde suo inque manus ultro iam siste sodali,
Sive alium quemcunque optat, sive ille Philinum.
Si facias, pueri tibi ne, Pan care, precabor
Arcadici, carnis cum defit copia, scillis
Et latera et dorsum plectant male, turba proterva.
Si vero abnueris, totam ut lacer usque secere
Vngue cutim, detque aspra toros urtica iacenti.
Frigoribus degas mediis per culmina celsa
Edonum arctoas Hebri conversus ad undas.
At contra in medio cum Sol furit igneus aestu,
Aethiopum verses capras in finibus, instant
Queis Elemyae rupes; Nilus nec cernitur usquam.
At vos qui flavae circum ardua tecta Diones
Puniceis similes pomis volitatis, Amores,
En agite Hyetidos digressi et Biblidis unda

Figite nunc omnes arcu certante Philinum,
Figite; nt immemorem subeat iam cura sodalis;
Oblitum ut rediens conversa mente revisat.
Haec cecini: ille mihi vultuque arrisit amico,
Vt prius, atque pedum donavit praemia cantus.
Atque ille ad laevam versus qua fert via Pyxam
Digreditur: dextra Phrasidami ad praedia laetns
Veni at ego, et mecum simul Eucritus, ora et Amyntas
Pulcher. Ibi extructo iussi considere iunco
Pampineisque recens destrictis frondibus: altae
Nutabant ulmi supra caput, altaque ramos
Populus; et iuxta Nympharum rivus ab antro
Labens usque cavo de murice dulce sonabat.
Interea nigrae per frondea tecta cicadae
Assiduo instabant cantu; sepesque per altas
Atqne inter densos garribat acredula dumos,
Garribant cassitae et acanthides; atque gemebat
Turtur: apis dnlci volitabat multa susurro
Frigidulos circa fontes. Non pinguia dona
Aestatis deerant, non pomiferi autumni.
Namque pyra ante pedes et volvi mala videres
Ad latus hinc atque hinc; tum cerea pruna gerentes
Immodico ad terram curvari pondere ramos;
Et relini quadrima cadis fragrantia vina.
Nymphae Castalides Parnassia tesqua colentes,
Num talem cratera Pholi sub rupe cavata
Alcidae Chirona senem statuisse putandum est;
Talene pastorem Polyphemum ad flumen Anapi

Torquentem validis immania saxa lacertis
Nectar movit, uti vasto saltaret in antro;
Qualia tunc vidi misceri pocula ad aras
Frugiferae Cereris? Cuius mihi rursus acervo
In magno magnam contingat figere palam.
Rideat illa bono vultu, vescumque papaver
Atque manu flavos gestans utraque maniplos.

IDYLLIVM VIII.

DAPHNIS, MENALCAS, AEPOLVS.

DAPHNIS

Daphnidi formoso, dum pascit per iuga tauros,
Vpilio, ut perhibent, occurrit forte Menalcas.
Imberbes ambo, rufi ambo, dicere carmen
Docti ambo, et graciles labro percurrere avenas.
Vt Daphnin vidit, coepit prior ista Menalcas.

MENALCAS

Daphni boum custos, certa sis carmine mecum:
Prona mihi res est te, quam volo, vincere cantu.
Haec prior ille; statim retulit cui talia Daphnis.

DAPHNIS

Lanigeri gregis o custos, argute Menalca,
Non, si te rumpas, cantu me viceris umquam.

MENALCAS

Vin' certare igitur, posito sed pignore, mecum?

DAPHNIS

Et certare volo, renuo nec ponere pignus.

Digitized by Google

MENALCAS

Pignoris ergo, satis quod sit, quid ponimus ambo?

DAPHNIS

Ipse quidem vitulum: tu agnum non matre minorem.

MENALCAS

Agnum ego non ausim deponere: nam mihi saevus
Est pater et mater non mitis; vespere ad unum
Qui numerant omnes foetis cum matribus agnos.

DAPHNIS

Quidnam igitur spondes? pretii quid victor habebit?

MENALCAS

Est mihi pulcra novem calamis compacta cicuta,
Nexu cera pari quam supra iungit et infra.
Hanc possum; nequeo res despondere paternas.

DAPHNIS

Et mihi pulcra novem calamis compacta cicuta est,
Nexu cera pari quam supra iungit et infra.
Illam nuper ego struxi; hic digitus tibi testis,
Quem doleo, diffissa mihi quem laesit arundo.
Sed quis erit, nostrae certent quo iudice musae?

MENALCAS

Caprigeri pecoris custos nempe ille vocari
Huc poterit, canis allatrat cui candidus hoedos.
  Iamque vocant pueri, paret dicto ille vocantum.
Iamque canunt pueri; iudex sedet ille canentum.
Ducta sorte, prior coepit cantare Menalcas;
Alterno excepit Daphnis tum carmine carmen
Bucolicum. Prior est sic orsus voce Menalcas.

Digitized by Google

MENALCAS

Divini saltus et flumina, si qua Menalcas
Vobis grata suis lusit arundinibus,
Pascite oves illi: nec pabula Daphnidi desint,
Quandocumque suas egerit huc vitulas.

DAPHNIS

Iucundi fontes et gramina, si philomelae
Exaequat Daphnis carmina dauliados,
Pinguia sint armenta illi; sit pingue Menalcae,
Huc si forte olim venerit ille, pecus.

MENALCAS

Vernat ager, campique virent, atque ubera lacte
Plena tument, saturae luxuriant pecudes,
Qua se cumque tulit Phyllis; unde illa recessit,
Pastor et enecto gramine squallet ager.

DAPHNIS

Capra et ovis geminos dant foetus, nectare cellas
Complet apis, ramos altius arbor agit,
Qua se cumque tulit Milon: unde ille recessit,
Aridus aridulo cum bove pastor agit.

MENALCAS

O caper, o nemore in magno qui pascitis hoedi,
Ocyus ad gelidas currite fontis aquas,
Ille ubi nunc cessat; Mïoni et dicite: Proteus
Est deus; aequoreos pavit at ipse greges.

DAPHNIS

Non mihi regna peto Pelopeïa, non mihi quantum est
Auri, non rapidis ocyor esse notis:

Sed canere heic tecum; tecum hinc de rupe videre
Errantesque greges et mare Trinacrium.

MENALCAS

Triste malum arboribus nimbi sunt, fontibus aestas,
Alitibus laqueus, retia tecta feris:
Triste viro crudelis Amor. Scis, Iuppiter, ipse,
Quam gravis admota saeviat ille face.
Haec pueri alterno luserunt carmine. Carmen
Postremum arguta sic orsus voce Menalcas.

MENALCAS

Parce meis hoedis, lupe, matribus o lupe parce;
Parce mihi, multas qui pello ad pascua parvus.
O Lampure canis, qui te sopor obruit altus?
Turpe cani dormire altum, pastore pusillo.
Pascite, oves, tenerum gramen, nec parcite pulcre
Impleri; surgent rursus, quas carpitis, herbae.
Pascite dum cunctis turgescant ubera lacte;
Pars queat ut prodesse agnis, pars pressa reponi.
Desierat: coepit suavi quum Daphnis ab ore.

DAPHNIS

Dulcis vox vitulae, dulcis quem proflat ab ore
Spiritus, et vituli vox dulcis, voxque iuvencae.
Dulce per aestatem, placidis ubi murmurat undis
Rivus aquae, stratum sub dio carpere somnos.
Ilicibus decori sunt glandes, dulcia malis
Poma, sui vaccis vituli, vaccaeque bubulco.
Haec alternantes pueri: dein Aepolus infit.

Digitized by Google

AEPOLVS

Daphni, tibi ante omnes dulce os iucundaque vox est;
Malim audire tuas, quam lingere mella, camoenas.
Vtraque debetur tibi fistula: victor utramque
Accipe. Contigerit quod si te, Daphni, magistro
Mî quoque bucolicum meditari et discere carmen;
Pulcrum erit haec cornu mutilo tibi capra minerval,
Lactis inexhausto complet quae flumine mulctram.

Exiliit plausis manibus puer, ut salit ante
Hinnuleus, visam longo post tempore, matrem.
Indoluit flevitque alter; qualis nova nupta
Flere solet carae complexu avulsa parentis.
Ex illo Daphnis pastorum primus habetur
In numero, ductaque superbit Naiade nympha.

Digitized by Google

IDYLLIVM IX.

PASTORES SIVE BVBVLCI.

MENALCAS ET DAPHNIS.

MENALCAS

Incipe, Daphni, prior tu carmen dicere: Daphni,
Incipe, post Daphnin tu deinde sequare, Menalca.
Non foetis tauros, vitulos submittite foetis.
Per nemus hic armenta errent non avia: Daphni,
Incipe tu carmen, tu deinde sequare, Menalca.

DAPHNIS

Dulce sonat vitulae mugitus, dulce invencae;
Fistula dulce canit, canit hic et dulce bubulcus,
Dulce et ego. Mollis gelidi mihi fontis ad nndam
Est torns: hnnc pulcre vaccarum tergora sternnnt
Candida, quas mihi, dum per montes arbuta pascnnt,
Africus, heu, cunctas saxo deiecit ab alto.
Aestivo hic rapidos tam curo Sole calores,
Verba patris matrisve furens quam curat amator.
Sit cecinit Daphnis; cecinit sic deinde Menalcas.

Digitized by Google

MENALCAS

Aetna mihi mater, mihi pulcra in rupe cavata
Est domus; atqne habeo somno quae plurima stratis
Apparent, multas agnas multasque capellas;
Et capiti et pedibus mihi candida vellera substant.
Igne super querno semper mihi pinguia fervent
Exta. Focum supra fagus micat arida. Brumam
Curo, nuces posita quam pulte edentnlus hospes.
  Sic ambo paucis; plausique, et laetns utrique
Dona dedi. Clavam Daphnis tulit, edita rure
In patrio quae sponte sua mihi talis, ut ullam
Nec faber observans posset reprendere partem.
Concham alter strombi vacuam; quem scilicet ipse
Icariis captum in scopulis, et quinque comerant
Mecum alii in partes divisum. Protinns ille
Corripuit, magnoque inflavit murmure concham.
Silvestres Musae, salvete, ac dicite carmen,
Illis quod cecini coram pastoribus ipse:
Dicite iam, summa tumeat ne pustula lingua,
Formicae cara est formica, cicada cicadae,
Accipitri accipiter; mihi Musae et carmina, tota
Queis domus o utiuam sit nobis plena. Nec ipse
Somnns enim, subito exortum nec ver mage dulce,
Nec flores apibus tam cari, quam mihi Musae.
Namqne vident placido Musae qnem lnmine, gaudet
Laetus ovansque, malae metuit nec pocula Circes.

Digitized by Google

IDYLLIVM X.

OPERARII SIVE MESSORES.

MILO ET BATTVS.

MILO

O messor, misero quid contigit? Heu neque sulco
Incedis recto, veluti prius: impiger una
Cum socio spicas nec deiicis: atque relinqui
Te pateris, velut agna, pedem cui fixerit imum
Spina, gregem tardo sequitur male saucia gressu.
Qualis vel sero es iam vespere, luce futurus
Vel media, primo quem sulcus mane fatigat?

BATTVS

Indefesse operum, dure atque adamantine Milo,
Absentis ne unquam te cepit dira cupido?

MILO

Me nunquam: absentem cupiat cur denique messor?

BATTVS

Sollicito ne unquam vigilasti captus amore?

MILO

Dii meliora: cani male, si gustaverit exta.

BATTVS

At mihi amor misero est undena luce molestus.

MILO

Qnippe tibi vinum superest? mihi deſit acetum.

BATTVS

Arva igitur operis post consita nil mihi factum.

MILO

Quaenam istaec urit quae te?

BATTVS Buxnm Polybutae
Filia quae inflabat messoribus Hippocoontis.

MILO

Invenit sontem vindex Deus. Illa locustae
Assimilis tibi iam continget lignea coniux.

BATTVS

Irrides. Oculis Plutus, pol, non caret unus,
Ast et Amor vecors, Milo; ne magna loquare.

MILO

Non ego magna loquor. Tu spicas deiice; pauca
Deque tua interea nympha cane: suave canenti
Fiet opus: quondam et, memini, cantare solebas.

BATTVS

Mecum, Pierides, gracilem cantate puellam;
Cuncta nitent rerum vestro contacta lepore.
  Bombyce formosa, aliis Syra diceris, atque
Exilisque, genas et torrida, mel mihi flavum.
  Nigrae etiam violae sunt inscriptique hyacinti;
Primus at in pulcris flos audit uterque corollis.
  Capra levis cythisum, capram lupus acer, aratrum
Grus sequitur peregrina: sequor te perditns ipse.
  Divitias utinam quas olim Croesus haberem,

Ex auro nostrum Veneri iam staret uterque:
Tu buxumque tenens et dulcia mala rosamve,
Nixus Amycleis ego pulcra in veste cothurnis.
Bombyce formosa, et pes tibi candidus et vox
Mollis: nympha, tuos nequeo sed dicere mores.

MILO

O qualis cantu messor nos iste fefellit!
Quam numeris apte dimensus carmina! barba
Vae vae isti fatuo tibi se quae tanta profudit.
Nunc audi haec dius quae cantabat Lytiersas.
Flava Ceres spicasque ferens frugesque, face arva
Vt niteant, multaque horrescant pinguia messe.
Qui legitis spicas arctos vincite maniplos,
Praeteriens ne quis dicat: male perdita merces.
Ad Boream sectae frugis vertantur acervi,
Aut Zephyrum; ventus nam spicas auctat uterque.
Qui teritis frumenta viri, de luce cubate
Ne media: exsiliunt sicco tunc hordea culmo.
Incipe, messor, opus cum somno surgit alauda,
Desine cum somnum repetit; duraque sub aestu.
O pueri, laudo ranam cui pocula miscet
Nemo, lacu pleno semper sed potus abundat.
Quin, o parce, coquis Phariam nunc, villice, lentem,
Dextra feiat vulnus ne, dum partire cyminum?
Haec cantanda viris labor est queis durus in aestu:
At tu istos, qui te male perdunt, messor, amores
Dic tremulae, in lecto vigilat cum mane, parenti.

Digitized by Google

IDYLLIVM XI.

CYCLOPS.

Nullum usquam duro natum est medicamen amori,
Nicia, quod spargi supra vel possit inungi
Pierios praeter cautus. Id mite virorum
Nascitur in domibus; rarum tamen. Hoc bene nosse
Te reor eximie callentem Paeonis artes,
Eximie carum Phoeboque novemque Camoenis.
Hanc habuit requiem noster curaeque levamen
Ille Cyclops Polyphemus, Nereidos Galateae
Cum puer imberbisque genas atque ora iuventa
Vix prima signans correptus fertur amore.
Quippe etenim non ille rosis pomisque cicinisque,
At furiis miser indomitum exercebat amorem,
Oblitus pecudesque ac munia sueta. Redibant
Saepe greges herba e viridi, caulasque petebant
Sponte sua: ipse canens Galateam solis ab ortu,
Aeger in algoso languebat litore curis
Perditus, et Paphio confossus pectora telo.
Sed tamen, hoc usus medicamine, caerula ponti
Aequora prospiciens, celsa haec de rupe canebat.

Immitis Galatea, tuum quid spernis amantem?
Lacte o candidior concreto, mollior agno,
Asperior vitulo, crudaque immitior uva.
Nempe venis quum somnus habet mea membra: recedis
Rursus cum somnus mea dnlcis membra reliquit:
Meque fugis tremefacta, lnpum ceu quae videt agna.
Captus amore tui sum primum, tempore quo te
Ire mea parvam vidi cnm matre, volentem
(Dux ego vester eram) nigros de monte hyacinthos
Carpere. Nec, postquam vidi et sum captus, amare
Cessavi aut cesso; quae me tamen, impia, spernis.
Novi ego cnr miserum fugias me, pulcra puella:
Fronte supercilium tota quia flectitur hirtum,
Perpetuo et geminas ductu pertingit ad aures;
Vnus et huic oculus quia substat; nasus et ingens
Labra super vasto se turgida pandit hiatu.
Hic tamen, hic, qualem cernis me cunque, pnella,
Mille habeo Aetnaeis pascentes collibus agnas.
Atque bibo mulgens florem ipsum lactis opimi.
Congestasque implet fiscellas caseus, unquam
Nec defit, mediove aestn, vel mitibus horis
Autumni, snmmo tristis nec frigore brumae.
Inflo etiam, ut nullus Cyclops heic inflat, avenas;
Teque cano, Galatea, ipsum et me saepe, sub alta
Stratus humo in gelida somni sine munere nocte.
Vndenas servo cervas tibi ventre tumentes
Iam gravido. His ursae catulos et quattuor addam.
Pulcra veni Galatea, feres haec omnia munus.

Digitized by Google

Pulcra veni; glauci feriant sine litora fluctus.
Nox agitur melins curvae hoc sub fornice rupis.
Hic virides lauri, procera hic fronde cupressi,
Hic hederae, hic dulces vitis dat fusa racemos.
Hic gelidus fons est, nemorosa e rupe nivalis
Quem, dulcem ambrosia dulci magis, Aetna ministrat.
Haec ubi sunt rapidum quis iam colat aequor et undas?
Hirsutns tibi si videor nimis, en age (querna
Sunt mihi ligna domi, cinis est qui contegit ignem
Altns inextinctum) patiar mea membra cremari;
Ipsam animam patiar, miser, ipsnm hoc lumen aduri
Vnum quod gesto, qno nil mihi carius uno est.
Cur me non peperit chelas mea mater habentem?
Per medios irem fluctus, Galatea: fugacis
Atque manum arriperem retinens. Tibi molle papaver
Purpureis crepitans foliis, vel candida ferrem
Lilia. Nam ferri nequeunt simul utraque; flos quod
Aestate hic media, medio hic sed frigore surgit.
Quod superest, discam liquidum mox nare per aeqnor,
Siquis forte rati veniet hnc nauta; voluptas
Vt norim quae sit salsas habitare per undas.
Exi undis, Galatea; meos utque immemor ipse,
Tu quoque sperne tnos fluitantia tecta penates;
Lanigerumque gregem sectari et pascere mecnm
Ne pudeat, pudeat neu lac mulgere, nec acri
Succo lenta novo miscere coagula lacte.
  Irascor matri; mater me perdidit una.
Nil de me dixit blandum tibi, nostra videret

Digitized by Google

Cum tamen assiduis tenuari corpora curis.
Nunc ambosque pedes mihi dicam ardere caputque,
Sic ut ego crucior simul ut crucietur et ipsa.
  O Cyclops, Cyclops, quo mens tibi devia fugit?
Hinc abiens calathos molli si texere iunco
Atque agnis teneras velles nunc stringere frondes,
Consuleres melius tibi, plus et cordis haberes.
Mulge ovium quod adest; longe quod fugit omitte.
Invenies aliam, te si haec spernit, Galateam;
Et forma fortasse magis praestante. Puellae
Sunt aliae innuptae Siculis in montibus, et quas
Nec torva haec facies, nec vox haec rustica laedit;
Arridentque mihi, mecum et colludere gaudent.
Quippe et ego videorque aliquis, nec spernor ubique.
  Sic facilem pavit cantu Polyphemus amorem,
Suavius et vixit quam si aurea dona dedisses.

Digitized by Google

IDYLLIVM XII.

AITES.

Venisti postquam lux tertia, tertia postquam
Nox abiit: cupidis heu lux fert una senectam.
Quam ver frigoribus, prunis quam dulcia poma
Praestant, quam tenero est mater villosior agno,
Effoetam quam vincit anum virguncula forma,
Quam vitulo citior fugit hinnulus, anteit una
Quam cunctas dulci cantu philomela volucres,
Tam mihi nunc rediens tu gaudia magna tulisti.
Cuius ego adventu properavi, fessus in aestu
Currit ut ad fagum rapido sub Sole viator.
O utinam adspiret nobis amor aequus; utrumque
Seri etiam ut quondam certent cantare nepotes.
Atque, fuere duo, dicant, par nobile, amici,
Olim sanctus Amor parili quos lege revinxit,
Qui sancte coluere fidem, et data foedera nunquam
Laesere innocui, semper socialia iura
Servavere pii, certantes omnibus inter
Se laeti officiis extremae ad fata senectae.
Tunc aevum felix, tunc aurea saecla virorum

Quippe fuere, pares quum mutuus ardor amicos,
Cura eadem, alterno iunctos vincibat amore.
Hoc utinam, o divum rex Iupiter, hoc mihi magni
O utinam divi, contingat, sitque, ducenta
Qui post secla olim tarde volventia, laetus
Nunciet hoc clauso tenebris Acheronte sub imo.
Vester adhuc celebratus amor sonat usque, nec aevo est
Obrutus immemori, volitatque per ora virorum.
Sed ventura tamen superi, queis cura, gubernent
Vt placitum. Haud mendax ego te laudator, amice,
Nunc celebro. Si quid laesisti forte sodalem,
Continuo, laeso ne posset plaga nocere,
Iuvisti duplo: laedi fuit utile: quidquid
Detractum est, magno confestim foenore reddis.
Nisaei cives, pubes Megaresia remis
Incluta, dii vobis faveant, sintque omnia laeta,
Actaeum eximio colitis quod honore Dioclem,
Eximie caros coluit quod vivus amicos.
Iure virum cantant pueri, nimboque rosarum
Vere novo tumulum spargunt, coetuque frequenti
Solemnes agitant lecto sub iudice ludos.

Digitized by Google

IDYLLIVM XIII.

HYLAS.

Aligerum haud nobis tantum sua mater Amorem,
Nicia, uti remur, peperit, nec pulcra putamus
Primi pulcra, viri mortales, quos brevis aevi
Terminus excipiet, quos et lux crastina fallit.
Ille quoque indomitus duroque rigentior aere
Amphitryoniades, dirum qui stare leonem
Sustinuit contra, formosi captus amore
Fertur Hylae, intonsam gestantis vertice flavo
Caesariem. Vtque pater gnatum, sic moribus illum
Artibus atque bonis informans cuncta docebat.
Nec frustra: iam clarus Hylas, iam magnus haberi
Coeperat. Alcides operi noctesque diesque
Instabat nusquam secedens, Phoebus Olympi
Seu medium quateret, niveos Aurora iugales
Sive ageret Iovis ad sedem, spectare cnbile
Seu queruli inciperent pulli, quos praevia mater
Voce vocaus trabe de fumosa concutit alas.
Scilicet ut cultus puer omni laude niteret
Virque foret verus dignusque Alcide magistro.

Digitized by Google

Interea Aesonides auratum vellus Iason
Cum peteret, lectusque virûm flos ipse per urbes
Argolicas, manus heroum, contenderet una;
Ipse etiam ditem patiens advenit Iolcon
Filius Alcmenae Mideatidos heroinae.
Flavus Hylas habilem simul et conscendit in Argo;
Cyaneas quae per medias intacta volatu
Emicuit celeri, veluti Iovis ales, et altum
Intulit in Phasin se concita, tempore ab illo
Ante vagae steterunt stantque alto in gurgite cautes.
Ergo ubi se Pleias ponto extulit, ultima prata
Cum nivei pascunt agni, iam vere cadente
Magnanimi heroes curvae per transtra carinae
Consedere. Austri spirant; lux tertia rectam
Hellespontiacas puppim devexit ad oras,
Laeta Propontiacos in portus, arva Cianis
Pinguia ubi presso findebant vomere tauri.
Hic suspensa boum propter iuga vespere sero
Corpora curabant; curvoque in litore molles
(Apta toris aderant namque herbida prata struendis)
Quisque toros certat struere, ac simul aggerit alte
Butomiumque anceps et densa fronde cyperum.
Flavus Hylas abiit puras e fontibus undas
Ferret ut Alcidae et magnanimo Telamoni,
(Hi solitie mensa vesci socialiter una)
Aeratam gestans urnam; nec multa moratus
Aspicit en fontem depressa in valle, tegebant
Quem variae ripis enatae humentibus herbae.

Digitized by Google

Glauca chelidonia et pulcre viridans adiantum
Pubescensque apium et flexu mollis agrostis.
Fontis at in medio nymphae choreas ducebant,
Insomnes nymphae, timidis agrestibus horror,
Eunica, Malisque, tuens et dulce Nychea.
Iamque puer lymphis ingentem admoverat urnam,
Festinusque haurire parabat. Protinus omnes
(Visus enim facie formosa incenderat omnes)
Arripuere manu dextram: toto ruit ille
Corpore caeruleam praeceps delapsus in undam;
Non secus ac rutilans caelo cum stella sereno
Lapsa cadit pontum in medium; quam navita longe
Conspiciens aliquis clamat: socii, arma levate
Ocyus, incipient venti spirare secundi.
Exceptum insidiis puro sub gurgite nymphae
Solantur puerum blando sermone: morantem
Alcides quaerit frustra, furiatus et arcum
Corripit ac volucres, Maeotica tela, sagittas,
Quamque manu clavam semper gestare solebat.
Ter clamavit Hylam toto de gutture; vocem
Ter puer accepit; ter reddidit: at levis unda
E media Alcidae sonitus pervenit ad aures,
Et positum iuxta longe tamen esse putabat.
Ac velut ille iubam quatiens leo cum procul audit
Hinnulei vocem densis in montibus, acer
Exsilit, et praedam cursu vestigat anhelo:
Sic densos inter sentes atque invia lustra
Per nemorum Alcides puerum quaerebat, et imas

Digitized by Google

Lustrabat rapido valles atque ardua cursu.
Heu miseri quos versat Amor! vagus ille per altos
Errabat montes saltusque. Oblitus Iason
Exciderat menti. Ventis abitura secundis
Stabat celsa Argo. Malo suspenderat altas
Heroum manus antennas, et vela parabat
Alcidem opperiens; vesano percitus ille
Corda furore, pedes ibat quocunque ferebant,
Caeca mente ruens incassum: nam gravis intra
Ima Deus caeco laniabat pectora morsu.
Sic formosus Hylas divorum coepit haberi
In numero. Alcidem heroës dixere carinae
Desertorem, abiens magnam quod liquerat Argo,
Atque pedes Colchos et Phasidis attigit undam.

Digitized by Google

IDYLLIVM XIV.

CYNISCAE AMOR
VEL
THYONICHVS:

AESCHINES ET THYONICHVS.

AESCHINES

Salve, o Thyoniche.

THYONICHVS

O mi Aeschina, tu quoque salve.

AESCHINES

Tam serus!

THYONICHVS

Serus: verum istuc quid tua refert?

AESCHINES

Dura urgent me fata, Thyoniche.

THYONICHVS

Tam macer ergo;
Multa et barba horret mento, squalletque capillus.
Talis erat nuper qui venit Pythagoreus

Digitized by Google

Huc pallens, nudusque pedes, et natus Athenis,
Vt perhibet, tostae cupidus, reor, ille farinae.

AESCHINES

O bone, tu ludis; miserum formosa Cynisca
Me laedit contra iusque et fas omne. Labascit
Mens tacite, unguem et abest mihi vix insania latum.

THYONICHVS

Talis tu semper, chare Aeschina, mitis ad horam,
Dein asper: verum narra quid denique factum.

AESCHINES

Nuper ego (Argivusque Apis, et Thessalus una
Miles Cleunicus) potabam scilicet aede
In nostra: pullosque duos, foetumque suillum
Lactentem apposui laetus: quadrima relevi
Byblina, ut a praelo beneolentia vina recenti.
Nec bulbus deerat, gratum potantibus, ille
Colchicus. Interea misceri vina, salutem
Propinare datum cui velles nomine dicto.
Clamantes alii potant ut cuique voluntas.
Illa nihil praesens praesenti. Irascor, et, heus tu
Nil quidquam loqueris? Lupus est tibi visus? At illa:
Euge placet sapiens dictum, perstrictaque inarsit
Flammato fax ut succendi posset in ore.
Est Lupus ille Labae vicini filius, ille
Est Lupus, et iuvenis, procero et corpore pulcher.
Huius vesano mulier flagrabat amore.
Idque mihi quondam tenuis modo rumor ad aures
Attulerat, sed nil quaesivi stultus, inanem

Hanc mento gestans tam longo tempore barbam.
Et iam finis erat potandi: dicere carmen
Thessalico ritu cum Laryssaeus iniqua
Mente meum laudare Lupum malus incipit; aure
Accipiens cupida lacrymis rigat ora Cynisca.
Et plorat veluti sexenni aetate puella;
Illa sinu matris cupiens ulnisque foveri.
Tunc ego, qua nosti me bile, Thyonice, pugnum
Impegi in malam, inde alium. Collegit at illa
Peplum irata, forasque abiit. Mala pestis, abito
Quo lubet, atque alium quem vis tibi quaere, molestus
Quando ego sum, largos cui fundas perfida fletus.
Ac veluti nido quaesitas quae tulit escas,
Inde volat latura aliam vaga rursus hirundo;
Sic cita perque fores perque ostia, sede relicta,
Aufugit illa pedes abiens quacumque ferebant.
Et vetus est verbum: silvam bos fugit in altam.
Vicenae luces, octoque, novemque, decemque,
Vndecima haec, istis et menses quattuor adde;
Cum sumus abiuncti, nec Thracum more comamve
Aut barbam posui. Lnpus illi est omnia; contra
Nullus ego, nullo in numero, Megaresius inter
Extremus cunctos, ullo nec dignus honore.
Atque utinam hoc solvi possem vesanus amore,
Omnia recte irent: nunc, mus, o amice, quod aiunt,
Ore picem arripui. Diro medicina furori
Ecqua sit ignoro. Simus, meus ille sodalis,
Quem misere miserum torrebat nata Epichalci,

Puppe vias abiit longas, mentemque recepit,
Atque domum sanus rediit. Metibor et ipse
Caerula, nec primus praestanti robore miles,
Forte nec extremus aerata in classe futurus.

THYONICHVS

Quae cupis ista tibi fortunent, Aeschina, divi.
Verum exire domo si vis, longe optima liber
Miles apud magnum stipendia fert Ptolemaeum.

AESCHINES

Caetera vir qualis Ptolemaeus?

THYONICHVS

Liber ut ullum
Nancisci haud possit meliorem, nec mage dignum
Quem colat; eximie mitis, doctusque bonusque,
Quem neque adulator fallit, nec fallit amicus,
Munificus iustis precibus nihil abnuit unquam,
Sed regem quaecumque decent large omnia donat.
Haec satis: haud opus est sciteris cuncta. Sagum si
Ex humero potis es fortis demittere dextro,
Scutatumque audes hostem pede nixus utroque
Contra stare; hinc recta Aegyptum. Cana senectus
Temporibus, tum deinde genis obrepit: oportet
Dignum aliquid gessisse viro florentibus annis.

IDYLLIVM XV.

SYRACVSIAE
VEL
ADONIA CELEBRANTES.

GORGO, EVNOE, PRAXINOE, ANVS, HOSPES, VATES.

GORGO

Praxinoe ne intus?

EVNOE

Gorgo, aequo serior; intus.

PRAXINOE

Mirum pol quod ades vel nunc. Ferto, Eunoa, sellam,
Pulvinumque.

EVNOE

Probe iam cuncta parata.

PRAXINOE Sedeto.

GORGO

O tenues animae! Vix huc evadere salva,
Praxinoe, potui: turba ingens: plena quadrigis

Digitized by Google

Omnia, plena virûm crepidas chlamydasque gerentum.
Longa via; hae nostris longe absunt aedibus aedes.

PRAXINOE

Hoc fatuus terrae extremis in finibus ille
Antrum, non aedes legit, mala pestis, et usque
Mî adversans, vicina tibi ne scilicet essem.

GORGO

Istaec parce tuo de coniuge, cara Dione,
Pusus ubi est. In te viden' ut defixit ocellos?

PRAXINOE

Fide, o Zopyrion; nil sum de patre locuta.

GORGO

Mecastor sentit puer. Est pulcro pater ore.

PRAXINOE

Ille meus nuper (nuper nam dicere suevi
Omnia) pro nitro et fuco sal attulit emptum:
Longus homo, atque decem foede porrectus in ulnas.

GORGO

Et meus ille itidem, argenti clades, Dioclidas
Evulsos veteri e pera mihi nempe caninos,
Vellera quinque, pilos emit, sordesque, laborem
Atque merum, qui me cruciet. Verum indue, quaeso,
Iam tunicam, et peplum superiniice. Divitis aulam
Ibimus in magnam Ptolemaei, pulcrum ut Adonin
Spectemus; cui sacra parat nunc regia coniux.

PRAXINOE

Magna domo in magna sunt omnia: sed tamen illi,
Qui nunquam vidit, tu visaque dictaque narra.

GORGO

Tempus abire. Operum, lux omnis festa, solutis.

PRAXINOE

Eunoa, iam fer aquam. Cessatrix. Ferque lebetem,
Et statue in medio. Lenta ut mollisque? cubare
Nempe toro in molli feles vult. Ocyus, inquam,
Affer aquam: primo hac opus. Aspice lenta
Vt fert? da tamen: huc affunde. Heus prodiga, ne tam
Large. Vae miserae! tunicam mihi, stulta, rigasti.
Desine. Vti placitum diis est, sum denique lota.
Clavis ubi? magnae clavem fer mî ocyus arcae.

GORGO

Praxinoe, vestis quam te decet ista? sinus ut
Suspensi pulcre? quanti nam constitit illa?

PRAXINOE

Ne quaere. Argenti mina puri impensa vel una
Vel duae: opus longum, duro ut sim enecta labore.

GORGO

Verum operae pretium constat.

PRAXINOE

Fateor. Mihi peplum
Eunoa et umbellam. Fac artus ambiat apte,
Ac deceat. Non te ducam, mi dulcis ocelle
Zopyrion. Nam larva foris, mordaxque caballus.
Quantum vis plora: te fracto crure referri
Nil opus est. Gorgo, quin imus? Tolle puellum
Hinc, Phrygia, et secum interea collude. Catellam
Hanc arcesse intro; et firmo claude ostia vecte.

Dii, turbam ingentem! quî nam perrumpere possis
Aut quando hocce malum? Formicis plura virorum
Corpora densautur, nec finis cernitur ullus,
Nec numero omnigenum possis comprendere vulgus.
Plurima sunt, Ptolemaee, tua incluta facta, beatus
Ad superos abiit postquam pater. Omnia tuta:
Insidias nusquam metuit fraudemque viator.
Nusquam est qui Phario ludens de more protervis
Excipiatque iocis malus, et male vexet euntem.
Heu Gorgo, nobis quid fiet? equi prope regis,
Regis equi veniunt. Miseram ne protere, miles.
Rufus ut arrectum se sustulit ille! recede,
Eunoa; sessorem leto dabit. O bene factum,
Cauta domi puerum quod tuta in sede reliqui.

GORGO

Parce metu iam, Praxinoe. Nos pone relictae,
Praeteriere illi.

PRAXINOE

Mihi, Gorgo, meus redit. Anguem
Semper ego a puera gelidum, tum dira frementem
Semper equum timui: male me res utraque terret.
Accelera: huc ingens populi, viden'? affluit unda.

GORGO

Ex aula ne venis, mater!

ANVS

Nae, filia.

GORGO

Gressus

Digitized by Google

Num facilis intro est?

ANVS

Conando, filia, fiunt
Omnia: conando ceperunt Pergama Graii.

GORGO

Fugit Anus, mera quae nobis oracla locuta est.
Foemina nil nescit: Iunonem ut duxerit altus
Iupiter id quoque non nescit. Verum adspice quanto
Agmine, Praxinoe, circumstet limina vulgus.

PRAXINOE

Immenso. Dextram, Gorgo, mihi porrige; dextram,
Eunoa, et Eutychidos cape sis, cape firmiter, usquam
Nec patere avelli. Confertim intremus; adhaere,
Eunoa. Me miseram! vestis mihi scissa. Beatum
Sic faciat magnus te Iupiter, o bone, serva
Hoc mihi sis peplum, serva, hospes.

HOSPES

Trudor et ipse,
Vt cernis; verum servabo.

PRAXINOE

Dii male turbae,
More suum qui se trudunt.

HOSPES

Iam parce timori
O mulier; salvi iam tandem evasimus.

PRAXINOE

Hospes
Care, etiam posthac salvum te Numina praestent

Digitized by Google

Vsque. Probus quam vir! quam miti pectore! Nobis
Eunoa sed premitur. Age vi perrumpe. Sumus iam
Intra omnes, dixit qui sponsam excluserat olim.

GORGO

Praxinoe, huc propius. Primum haec quam pulcra, tuere,
Textilia: ut tenui filo! Quo ducta labore!
Cuncta equidem, credo, manibus perfecta Deorum.

PRAXINOE

Magna Minerva! manus quaenam illas texere? quisnam
Tam pulcris potuit pictor variare figuris?
Vt stant? ut sese flectunt? ut viva moventur
Corpora, non intexta! Homini solertia quanta est!
Ipse autem argento clarum pulvinar Adonis
Quam pulcher premit ac mirandus! tempora subter
Cui molles prima flavent lanugine malae:
Pulcher es, inque Orco Diis ipso carus Adonis.

HOSPES

Ecquis erit finis? tandem garrire palumbes
Desinite: o fantes diducto cuncta labello.

GORGO

Tu quis, et unde? domi ancillis dicere praestat
Ista tuis. Tua quid refert quam garrula simus
Turba? Syracosiis num tu dominare? Sed audi
Haec tamen: ex Ephyra sumus ortae ab origine prima,
Magnanimus ceu Bellerophon. Mirare loquentes
Doriace? deceat nec Doras dorica lingua?

PRAXINOE

Dempto uno nobis nemo imperet. O bone, nec mî

Digitized by Google

Abs te alapas metuo, tua nec convicia curo (*).

GORGO

Praxinoe, voci parce: cantabit Adonin
Iam sapiens vates Argivae filia, magnum
Olim quae Sperchin lugubri carmine vicit.
Pulcrum aliquid promet: quo se parat, aspice, vultu.

VATES

Diva regens Golgos atque Idalium frondosum,
Aëriasque Erycis rupes, Venus aurea, Adonin
Cerne tibi qualem longe ex Acheronte profundo
Mollipedes Horae duodeno mense reducunt:
Horae, queis divos inter nil tardius extat.
Sed tamen optatae veniunt, semperque bonorum
Cum venere ferunt aliquid mortalibus aegris.
Tu Cypri, ut perhibent, magnae tu magna Diones
Filia, sublatam longe a terris Berenicen
Astra super, caeli suprema in parte locasti,
Ambrosiae dulci perfundens pectora potu.
Ergo, Diva, tuum, meriti non immemor, almae
Arsinoe proles Berenicis incluta, pulcrae
Par Helenae, donis nunc omnibus ornat Adonin.
Arborei ante illum foetus, felicia poma,
Quotquot ab extremis pendent fragrantia ramis.
Horti etiam tenero viridantes germine, claudunt
Argento e puro quos fulgiduli calathisci;
Atque onyche atque auro servata unguenta Syrorum.

(*) Vide Muret. *Var. lect.* lib. 2. cap. 20.

Digitized by Google

Foemineus rutilo quidquid labor efficit igni,
Omnigenos miscens flores et adorea dona;
Et melle et liquido quae spargens condit olivo.
Heic quaecumque solo reptant, heic aëra pennis
Quae liquidum findunt magnum per inane volucres.
Molliter heic viridans umbracula texit anethum,
Cui super involitant pueri, formosus Amorum
Ille chorus: quales parvae ludunt philomelae,
Exercentque leves per frondea tecta volatus.
O aurum! o ebenum! gemina o magni Iovis ales,
Vina Deo puerum qui misceat ungue ferentes!
Purpurei o supra pendentia vela tapetes,
Molles vel molli somno mage; victa fateri
Quod neque Miletus nec iam Samos abnuat ipsa.
Sic positus placida carpat sub nocte quietem
Somno stratus Adonis; ubi processerit Eos,
Rore novo dum rura madent, ad salsa feremus
Aequora longa illum pompa, crinemque solutae
Atque pedes tectae demissa veste, cavisque
Funereum in morem plangentes pectora palmis
Flebimus, et querula dicemus carmina voce.

Fortunate puer, soli cui contigit atram
Ire redire viam toties, Orcumque subire,
Atque iterum lucis dias emergere in auras.
Nullus id heroum potuit; non maior Atrides,
Horrendamve furens Aiax, nec primus honore
Bis denos inter gnatos Cisseidos Hector.
Non Patroclus, Pyrrhusve redux post Pergama versa,

Digitized by Google

Non prisci heroes Lapithaeque et Deucaliones,
Non Pelopeiadae, non Argi prima Pelasgi.
Salve, o Adoni, et ades venturum laetus in annum.
Venisti felix, felix et, Adoni, redito.

GORGO

Praxinoe, o carmen sapiens! o edita fato
Felici haec mulier tam doctaque suaviloquensque!
Tempus at ire domum est. Impransus iam Dioclidas,
Vt reor, absentem contra furit. Efferus esse
Ventre solet vacuo: ieiuno occurrere noli.
Salve, o Adoni, revise et rursum nos quoque salvos.

IDYLLIVM XVI.

CHARITES SIVE HIERON.

Hoc Musae curant unum, curantque poetae,
Vsque Deûm laudes, laudes cantare virorum.
Musae quippe Deos cantant, nos corpore creti
Mortali contra canimus mortalia secla.
Quis tamen est hominum tot, quos Aurora sub axe
Pulcra videt, nostras qui pandens ostia laetus
Excipiat Charitas tecto; nec limine pellat,
Atque domum spretas foede vacuasque remittat?
Quae pedibus nudis vestigia pressa retrorsum
Iratae relegunt, ac me, cassumque laborem
Atque vias moestae incusant. Dein rursus inani
Se loculo condunt genibus caput acclinatae,
Squallida ubi sedes miseris gelidique penates.
Quisnam hodie grato carmen compensat amore?
Quem norim, nemo: propter benefacta probari
Nemo cupit, meritae nancisci et praemia laudis.
Omnes urit enim lucri vesana cupido.
Quisque sinu dextram condens circumspicit ecqua
Spes nummi ostendat sese; donare clienti

Nec velit eroso quantum detersit ab aere.
Sed genu, ait, propius quam tibia. Me mea pascat
Res ipsum, faciant bene Diique Deaeque poëtis.
Aequa mente alium quisnam legat? Vnus Homerus
Sufficiat cunctis. Vatum longe optimus ille
Est mihi, qui scripto pro carmine nil feret a me.
Heu, miseri, caecis defossum quid iuvat aurum
In tenebris? non hic nummi sapientibus usus.
Inde utenda tibi pars est, pars danda poëtis;
Partem aliam affines habeant carique propinqui,
Notorumque ingens numerus, tum sacra per aras
Assidue magnis faciendum pinguia divis.
Cumque bonus veniet patriis de finibus hospes,
Largus opum mensaeque adhibe, longumque morantem
Fer tacitus, velit ipse sua dum sponte reverti.
Musarum venerare pios ante omnia vates,
Conditus ut Stygiis etiam laudere sub umbris,
Nec gelidam oblitus plores Acherontis ad undam,
Rusticus ut, duro callet cui dextra ligone,
Pauperiem atque inopis plorat cum taedia vitae.
Aedibus Antiochi in magnis et regis Alevae
Menstrua praebebant multi demensa ministri,
Et multi Scopadum vituli stabula alta petentes,
Cornigerique boves mugitibus arva replebant:
Et pecus innumerum viridi Cranonis in agro
Pellebant pueri lautis ad septa Creondis.
Nulla tamen de re, post fata extrema, supremo
Postquam animam gemitu Stygiae infudere carinae,

Digitized by Google

Nulla foret tanta de re iucunda voluptas;
Nudatique opibus magnis per secula strati
Indecores umbras inter sine honore iacerent;
Insignis cithara ni Ceïus ille poeta
Multa canens nomenque viris lucemque dedisset;
Quae manet ad seros longum et mansura nepotes.
Fama et equos loquitur sacro e certamine quotquot
Illis ornati merita rediere corona.
Quis Lycios nosset proceres, quis pulcra comatos
Priamidas, molli candentem et corpore Cycnum,
Prisca virûm si non cecinissent bella poëtae?
Nec, duo qui patiens per lustra erravit, Vlysses
Tot varias inter gentes, et venit ad Orcum
Vivus adhuc, fugitque manus Cyclopis et antrum,
Ora virûm per cuncta diu volitasset. Haberent
Oblitum tenebrae te nunc, Eumaee subulce,
Teque armenta boum foecunda, Philoetie, regi
Curantem. Ipse bonus caeca sub nocte lateret
Laertes genitor, cunctos ni carmine dio
Iuvisset natus vir claros inter Ionas.
Musa viris donat clarum per secula nomen;
Rem patriam gnati absumunt post fata parentis.
Sed labor est idem metiri ad litora fluctus
Caeruleo quoscumque furens ciet aequore ventus,
Aut unda impurum laterem purgare liquenti,
Et flexisse auri quem cepit dira cupido.
Haec quem pestis habet, valeat: sibi congerat aurum
Semper multa parans, cupiens et plura paratis.

At mihi mulorum prae quovis praestat, equorum
Et numero, si laude puter, si dignus amore.
Quaero aliquem interea, possim quem gratus adire
Cum Musis: via nam perplexaque duraque Musis
Consilio incertis, ni magnus Iupiter adsit.
Nondum etiam menses caelum, nec desiit annos
Condere, luciferi volvent per signa iugales
Saepe rotam. Nostro nascetur carmine tandem
Cui sit opus: dium qui factis aequet Achillem,
Aut gerat, ad Phrygii ripam Simoentis et Ili
Ad tumulum gessit quae vastis artubus Aiax.
Iam Tyriis Lybiae postremo in calce colonis
Occiduo sub Sole, atrae formidinis horror
Membra quatit: iam densa manu quassantque frementes
Tela Syracosii, laevaeque aptare salignas
Vmbonum crates certant, mediusque virorum
It, veterum nulli heroum virtute secundus
Aere nitens Hieron, cristaque insignis equina.
O utinam divûm pater et Tritonia Pallas
Persephoneque Ceresque parens Ephireia laetae
Moenia magna, deûm nullis non ditia donis,
Quae colitis pulcrae prope flumina Lysimeliae;
Trinacriis longe pulsum de finibus hostem
Per mare Sardoum rapiant mala fata; supersint
Vt numero ex omni pauci, qui dira suorum
Coniugibus narrent, orbis et funera gnatis;
Perculsaeque fero vesani turbine belli
Incipiant florere suis iam civibus urbes:

Digitized by Google

Arva coli, per lata greges pinguescere prata
Innumeri passim balantes: nota gregatim
Ire boves ad septa, gradum celerare viator
Debeat ut lentus: curvo tum dente novales
Proscindi, metuens pastorem rauca cicada
Cum sonitum summas inter dat condita frondes.
Interea tenues inducat aranea telas
Arma super congesta: ferum procul exulet, ipso
Aures nec laedat placidas iam nomine, bellum.
Ast Hierona ferent certatim carmine vates
Trans Scythici fines ponti, trans ditia regna,
Struxit ubi ingentem pharetrata Semiramis urbem,
Atque ausa est lento firmare bitumine muros.
Vnus ego: haud alii desunt quoque, lumine gnatae
Quos Iovis adspiciunt placido; queis omnibus una
Cura sit haec: siculam cantu scriptisque Arethusam
Et populos celebrare armisque Hierona potentem.
O Eteocleae Charites, divae Minyeum
Quae Orchomenum, Thebis iuvisum nomen, amatis;
Ipse domi, nemo si me vocet, usque manebo.
Sin erit ad se aliquis vatem qui arcessat amice,
Ibo equidem fidens Musis comitantibus, et vos
Haud linquam. Nam quid pulcrum, quid amabile cuiquam
Esse queat, Charites si desint? O mea mecum
Numina formosae Charites sint tempus in omne.

Digitized by Google

IDYLLIVM XVII.

LAVDATIO PTOLEMAEI.

Ab Iove principium sit carminis, in Iove finis,
Si iuvat, o Musae, primum cantare deorum;
Sin homines cantare iuvat, Ptolemaeus oportet
Carmine sit primus, medius, postremus in omni.
Semideûm genus heroes post fortia facta
Ad sua sunt magnos nacti praeconia vates:
Ipse meo tollam Ptolemaeum carmine ad astra;
Magni etiam docto clarescunt carmine divi.
Lignator ceu quum nemorosam venit in Idam,
Multa putans, dubitat qua parte exordia sumat;
Sic ego, quid primum laudem? Nam copia laudum
Sese ingens aperit, divûm queis munere fulget.
Ordiar a proavis. In cunctis ille gerendis
Quantus erat Lagidas Ptolemaeus? ut acer ad omne
Consilium, cernens alios quaecumque latebant?
Intulit hunc caelo divûm rex, caelitibus diis
Et dedit esse parem. Iovis alta in sedibus aureis
Structa viro domus est. Sedem tenet ille propinquam
Carus Alexander, Persis grave numen, et auro

Insignem gestans regali vertice vittam.
Invictum contra Alciden adamante corusca
E solido sella est ingens utrique locata.
Qui sanctos inter celebraus couvivia divos,
Eximia gaudet magnorum gente nepotum;
Iupiter exemit queis tristi membra senecta,
Atque dedit Superos perhiberi, et morte carentes
Caelicolas, diam divino e semine prolem.
Ambobus pater est Alcidae filius, ingens
Alcides pater est ambobus; clarus utrique
Desinit Alciden in magnum sanguinis ordo.
Ergo deus Iovis a coena cum forte rediret
Plenus odorato divinum nectare pectus,
Aurea tecta petens madidus notumque cubile,
Huic magnum gestare arcum dedit atque pharetram,
Tradidit huic duram nodoso robore clavam.
Illi Hebes arma in thalamum divina tulere,
Et dulcem sedes proavum duxere sub altas.
Illa quid eximie in coetu sapiens Berenice
Foemineo praestaus cunctis, laus magna parentum!
Hanc olim Cypris, pulcrae formosa Diones
Nata, manu tetigit mulcens, omnesque per artus
Divinum fudit formae caelestis honorem.
Ergo nulla unquam tam fertur cara fuisse
Nupta viro, prudens Berenice quam Ptolemaeo;
Foenore quae magno magnum pensabat amorem.
Scilicet his, aeque redamat quos uxor amantes,
Nascitur et soboles, genitor cui fidere possit,

Digitized by Google

Atque domum laetus tuto committere totam.
Illa sui contra sed quae non flagrat amore
Coniugis, externum curat, foecundaque partu
Dat sobolem, absimili sed quae neget ore parentem.
Cypri, Deas inter pulcherrima, tu Berenicen
Dilexti vivam; per te, hinc digressa, nec Orci
Sedem, nec piceas Acherontis venit ad undas;
Ante sed horrendae quam tristia stagna paludis
Cerneret, ac nigrum coenoso in gurgite nautam,
In sedes raptam laetas, tua templa, tulisti,
Atque coli tecum iussisti, diva, per aras.
Ergo vocata bonos nunc illa adspirat amores,
Et cupido faciles curas largitur amanti.
Nigra oculos Argiva bonum bello Diomeden,
Incluta quo iactat Calydon se principe, Tydeo;
Pulcra Thetis dextra spargentem vulnera Peleo,
Diva homini, caeli sub lumina fudit Achillem.
Bellipotens Ptolemaee, deûm proles Berenice
Candida te peperit Ptolemaeo bellipotenti.
Eduxit puerum te Cos circumflua dias
Excipiens gremio venientem lucis in oras.
Namque ibi multa dolens Lucinam grata vocavit
Antigones: facilis venit dea magna, vigorem
Membra per et fudit praesens, curamque laboremque
Abstulit: in lucem prodisti, pulcra, parenti
Atque tuo similis: te Cos mirata profudit
Tales laetifico gaudens de pectore voces.
Salve, die puer, meque orna magnus, honore

Caernleam quanto Delum ornat Phoebus Apollo.
Aequa fac Triopis silvoso vertice rupes,
Et Dores vicina mihi gens laude ferantur.
Aeque Rhenaeam coluit sic Phoebus Apollo.
Talia Cos dixit. Summi Iovis armiger ales,
Clangorem dedit aëria sub nube, faventis
Ille Dei augurium praebens. Pater ipse verendum
Regem etenim curat Saturnius: omnibus ille
Et praestat rebns, placido quem lumine vidit
Nascentem. Fors laeta virum comitatur ubique,
Ac terris late, ponto late imperat: illum
Ingentes terrarum orae, populiqne beatis
Frugibus innumeri ditant; quas Iupiter auctat
Atque alit effuso densis de nubibus imbri.
Nulla sed Aegypto felix foecundaque tellus
Plura humili gignit; pleno quum Nilus ab alveo
Exiit, et mollis dissolvit gurgite glebas.
Innumeras tenet ille urbes, ubi turba virorum
Ingenio felix, omnesque exculta per artes.
Tercentenae illi structae urbes nempe: tricenis
Millibus adde tria, et bis ternas; omnibus istis
Adde ter undenas; late quibus imperat unus
Atque suo cunctas flectit nutu Ptolemaeus.
Vni Arabes parent, paret Phoenicia tellus,
Atque Syri, atque Afri, vicino et sole nigrantes
Aethiopum populi, Lyciique, Caresque, marique
Cyclades in medio. Celsis namque ille carinis
Arva secat victor Neptunia. Caerula ponti

Et tellus uni substat, fluviique sonantes.
Illi equitum ingentes turmae peditumque sub armis
Vsque sonant claro fulgentes aere catervae.
Reges ille opibus cunctos longe anteit; usque
Tanta domum in magnam fluit undique copia rerum.
Interea populi tranquilla pace fruuntur,
Intentique operi curant sua quisque; nec ulli
Aut pedites Nili piscoso flumine vecti
Invadunt subito villas, turbantque tumultu;
Aut puppi exsiliens miles citus, armaque vimque
Infert, ac Phariis armenta abducit ab agris.
Talis in Aegypti vir latis insidet arvis
Flavicomus quatiens hastam pulcre Ptolemaeus.
Qui patria, ut regem decet, omnia servat, et usqne
Ipse augeus addit. Congestum nec tamen aurum
Obruitur, completqne iacens opulenta sine usu
Tecta, ut opes longo sibi quas male parca labore
Congerit, atqne inopi servat formica senectae.
Partem clara fernnt snperûm delubra, nec unquam
Primitiae templis nec pinguia munera desnnt:
Magnanimi partem reges, urbesque, bonique
Accipiunt socii. Sacro in certamine Bacchi
Nec ptodit quisquam cantor, qni munus opimum
Continuo dignnmque sua non auferat arte.
Musarnm sacri Ptolemaeum pro beuefactis
Assidue celebrant vates. Quid pulchrius ulli,
Contingat rerum cui dives copia, ferri
Quam laude, et claram naucisci carmine famam?

Digitized by Google

Haec etiam Atridis manet una: (aggesta supellex
Illa ingens, vestes, aurumque, et regia gaza,
Quam Priami retulere domoque opibusque potiti,
Nescio ubi in tenebris et caeca nocte sepulta
Cuncta iacent; superas nulli unde egressus in auras).
Haec cineres et busta super fumantia patrum
It victrix, levis atque pedum vestigia ponit.
Condidit ille suis delubra parentibus, ambo
Et statuit solido ex auro nitidoque elephanto
Aegris auxilium mortalibus; extaque laetus
Menstrua flagrantes incendit rite per aras,
Ipse, bona et pariter coniux; praestante beata
Illa viro ante alias omnes et fratre: supremi
Magna Iovis veluti coniux regina Deorum.
Salve, rex Ptolemaee, pari mihi laude ferere
Semideos inter: seri nec dicta nepotes
Nostra, reor, spernent: virtutem tu ab Iove posce.

Digitized by Google

IDYLLIVM XVIII.

HELENAE EPITHALAMIVM.

Spartae olim flavi sede in celsa Menelai
Innuptae iuvenes hyacinthina serta gerentes
Ad thalamum venere choro laetante recentem,
Bis sex delectae prima de gente Lacaenae,
Tyndaris Atridae qua tradita nocte minori est.
Carmen idem cunctis, choreas iuncto pede cunctae
Plaudebant: laeto sonuit domus alta hymenaeo.
  Fortunate, bonum tibi quisnam sternuit omen,
Sponse, procos inter primos cum moenia Spartae
Ingressus diae peteres connubia nymphae?
Fortunate: socer factus tibi Iuppiter uni,
Nata Iovis magni tibi coniux contigit uni;
Vincit Achaïadas forma quae pulcrior omnes.
Nascetnr forma quiddam aequum caelitibus diis,
Si matrem referet formoso filius ore.
Sex decies quindenae aevo florente puellae
Vngimur Eurotae prope flumina more virorum:
Harum nulla Helenae possit collata probari.
Nocte velut sacra primo sub vere decorum

Digitized by Google

Flava caput ponti roseis attollit ab undis
Exoriens Aurora; omni sic illa micabat
E numero aequales inter pulcherrima; firmis
Viribus illa omnes, procero et corpore praestans.
Sulcus ut in culto procurrit maximus arvo,
Surgens pomifero celsa ut cupressus in horto,
Thessalus ut sonipes currum fremit ante sonantem:
Sic Lacedaemonias inter fuit illa puellas,
Cunctis una decus, cunctis praestantior una.
Nulla operum melior, lentos implere quasillos,
Ducere vel radio varium subtemen acuto,
Daedaleaque manu partiri ac pingere telas.
Nulla ciet docto citharam sic pollice, festo
Et Triviam celebrat cantu magnamque Minervam,
Tyndaris ut blande flagranti dulcis ocello.
Dia puella, domus posthac tibi cura, tuaeque
Prolis erit: nos mane novo de more petemus
Et stadium et rapidi laetae certamina cursus,
Carpentes prato in viridi beneolentia serta,
Vsque tui memores, Helene, te saepe vocantes,
Saepe vocant tenerae matrem ut balatibus agnae.
Nos loto ex humili primae tibi rite coronam
Vmbrosa in platano figemus, nos tibi primae
Sub platano umbrosa stillabimus unguina; in udo
Has Dorum et lingua scribemus cortice voces,
Quas legat aspiciens oculo properante viator.
Arbor sacra Helenae sum: me venerare, viator.
Salve, nympha, gener salve Iovis inclyte. Prolem

Digitized by Google

Latoua eximiam, sobolis Latona beatae
Nutrix, det vobis; Cyptis, Dea Cypris amorem
Det fidum; det opes divum rex Iuppiter, et rem,
Quae maneat gnatis serisque nepotibus, amplam.
Felices salvete ambo. Nox avocat alta
Nos procul binc; somnus languentes urget ocellos.
Mane novo, plumosa dabit per colla sonoros
Gallus ubi cantus, huc prima luce reversae
Certatim laeta dicemus carmina voce.
Hymen o Hymenaee, Hymen gaude o Hymenaee.

IDYLLIVM XIX.

FAVORVM FVR.

Furem olim, alveolis mel dum subducit, Amorem
Laesit apis, fodiens digitos. Multa ille dolebat
Turgidulus dextram, saliens, tundens pede terram.
Tum Veneri ostendit cladem, questusque, volucris
Tantula apis faceret quod vulnera tanta. Querenti
Subiecit Venus arridens: Quid? nonne apibus tu
7 Par es, tanta puer qui vulnera tantulus infers?

Digitized by Google

IDYLLIVM XX.

BVBVLCVS.

Eunica irrisit male me quum pauca iocari,
Atque meum vellem testari blandus amorem;
Et mihi, multa furens, fecit convicia. Quin tu
Ocyus hinc aufers te, foede bubulce, tuasque
Delicias? qualis facies! quam dulcia verba!
Barbula quam te istaec mollis decet! ut coma scite
Composita! labrum pallet; multoque perustae
Sole manns nigrant: graveolenti et corpore sqnalles.
I procul hinc tandem, ne sordibus inquiner istis.
Sic ait, inque sinum ter despuit; atque pererrans
Luminibus tacitis me summo a vertice ad imos
Torva pedes quiddam mussabat freta decore
Illa suo; risu et diducens labra protervo
Ingenti spretum fastu derisit. At aestu
Mî subito sanguis fervebat, praeque dolore
Erubuere genae, rore ut rosa matutino
Sparsa comam rutilans primo sub Sole rubescit.
Illa abiit sese avertens: cor mî tumet ira
Tam pulcrum quod me turpis muliercula risit.
Dicite, pastores, mihi verum. Non ego pulcher?
Anne aliquis mihi me Deus abstulit? an mihi forma,
Quae fuit, ignaro tenues dilapsa per auras?

Digitized by Google

Suave meo quoddam nuper florebat in ore
Nam decus; atque genas per molles perque nitentem
Serpebat barbam, truncos ut fusa per altos
Hac se hedera atque illac flectit ludente corymbo.
Pulcra coma atque apio similis mihi tempora circum:
Nigra supercilia; frons alta nitensque; venusti,
Palladios possent oculos qui vincere, ocelli.
Labra mihi presso mage dulcia lacte; fluebat
Vnde favis Hyblae vox dulcior: ulla nec aeque
Res iucunda, mei quam cantus; seu mihi recias,
Seu placeat magis obliquas inflare cicutas;
Fistula seu manibus, seu tibia sumpta canenti est.
Montibus in nostris laudor, formosus et ipse
Dicor, flos iuvenum, nulli non dignus amari:
Displicui urbanis idem; sprevere bubulcum.
Bacchus at umbrosa pavit sub valle iuvencas:
Et Phrygio formosa Venus risisse bubulco
Atque simul montes egisse armenta per altos
Dicitur: ipsum eadem in silvis dilexit Adonin,
In silvis raptum flevit. Quid? nonne bubulcus
Endymion? quem Luna, boves quum pasceret, alto
Delabens caelo Latmi sub rupe iacentem
Visebat: rapto plorat Rhea moesta bubulco.
Captus amore Deûm fertur pater ipse bubulci.
Sola sed irrisit sprevitque Eunica bubulcum;
Digna, Venus cedat cui pulcra, et Luna, Deorum
Et mater Cybele, divûm et rex Iupiter ipse.
Parce, Venus, plorare tuum mediasque per urbes
Perque agros passim (fuit ille bubulcus) Adonin.

Digitized by Google

IDYLLIVM XXI.

ASPHALION, HOSPES.

Hospes

Pauperies, Diophante, artes ciet una, laborem
Vna docet: nec enim longo indulgere sopori
Cura inopem sinit alta virum; sed dulcia somni
Dona ubi gustarit prima sub nocte, quietum
Sollicitat, morsuque animum pervellit acuto.
Forte senes duo, squamigerum per litora nota
Venari genus assueti, de more cubabant
Strati corpora fessa simul vili super alga,
Textilis exiguo tugurî sub culmine, ad ipsum
Acclines textum ramorum, et frondea septa.
Intorti funes, algosum rete, sagena,
Et laquei, nassaeque, et viminei calathisci,
Pellisque, et fulta exiguis antiqua tigillis
Cymba. Caput subter stramen breve, tritaque vestis,
Tritus et ipse usu, vili de pelle, galerus:
Omnis erant haec nempe illis censusque laborque.
Non ollamve, canemve habuere: ea copia iusto
Maior visa etenim piscantibus. Vna torique
Pauperies vitaeque comes: vestigia nusquam

Vlla virum, aut vicina domus; sed limen ad ipsum
Late diffusi fluctus salis eludebant.
Nondum etiam bigas flectebat candida luna
Trans medium provecta orbem; piscator uterque
Excitus est operis studio, placidumque soporem
Expulit ex oculis; tum fari haec incipit alter.

ASPHALION

Mentitur quicumque, dies quum Iuppiter auget,
Arctari dicit noctes, fierique minores:
Tot numero innumero vidi iam somnia, necdum est
Aurora. An fallor? quid monstri hoc? quae mora nocti?

HOSPES

Asphalion, pulcrae aestatis ne tempora culpa.
Non haec tarda meat temere nox; cura quietem
Sed turbans tardamque facit longamque videri.

ASPHALION

Dic mihi, coniectas tu somnia? somnia vidi
Nam bona; nec te, hospes, celarim: stat mea, captos
Partior ut pisces, partiri somnia tecum.
Mente vales acri: scrutari et pandere visa
Optimus est, intus quem mens docet ipsa magistra.
Otia nec desunt sermoni accommoda. Nam quid
Heic facias foliis male fultus litore in udo,
Et vigil hirsutis in frondibus, et sine lychno?
Lychnus enim semper succo praepinguis olivi
Pascitur, ut perhibent, Prytaneo in divite.

HOSPES

Narra.

Digitized by Google

ASPHALION

Fessum operis primo quum coepit vespere somnus,
Nec dape corpus erat multa grave; nam breve quiddam,
Vt nosti, parce parci gustavimus ambo;
Me mihi sum visus piscantem cernere scabro
In scopulo; piscesque sedens speculabar, et escam
Fallacem quatiens demisi in arundine longa.
Grandior appetiit quam piscis: nam sibi cernit
Praesentem in somnis offam canis, ast ego pisces.
Ille quidem haerebatque hamo, tepidoque fluebat
Sanguine: mî curvata manus agitabat arundo,
Concutiens motu tremulo. Certaminis ergo
Res fuit haud parvi; ferro retinere pusillo
Et trahere ingentem. Subiit quoque vulnus; et: heus tu,
Men', inquam, feries? ego te feriam male! iamque
Luctando fessum arripui. Sic omne peractum
Est opus. Ecce autem video, mirabile monstrum,
Piscem auro e solido. Subitus circumstetit horror
Attonitum, an forte patri sacer Ennosigaeo
Piscis, deliciumve foret flavae Amphitrites.
Inde hamum eduxi paullatim cautus, ab auro
Ne quid decideret, ferrove haeresceret unco;
Et lino implicui, traxique ad litora victor.
Hic, praeda exsultans, iuravi, caerula numquam
Tacturum, in terra felicem aurique potentem.
Sic sopor est pulsus. Cura haec disquire sagaci
Visa, hospes. Metuo iuratus fallere divos.

Digitized by Google

HOSPES

Ne metuas: nec enim iurasti, nec tibi piscis
Aureus est umquam captusve aut visus. Inanes
Nocte volant rerum, veluti mendacia, formae.
Illa tamen vigilans loca si scrutabere, somni
Spe ducto obtigerit fors piscis carneus, inter
Aurea, dura fames, ne te iam somnia perdat.

Digitized by Google

IDYLLIVM XXII.

DIOSCVRI SEV GEMINI.

AMYCVS, POLLVX.

B. Z.

AMYCVS

Vos canimus, nati Ledae magnique Tonantis
Castor, et insignis pugilum in certamine Pollux
Brachia taurinis semper circumdate loris.
Vos canimus bis terque satos Iove, mascula proles
Nymphae Thestiados, fratres duo lumina Spartae,
Auxiliumque viris extrema in clade ferentes,
Turbatis et equis per foedos sanguine campos,
Et ratibus, quae caelo ortumque obitumque timentes
Astrorum validis iactantur in aequore ventis;
Quum magnam a puppi tollentes flamine molem,
Aut etiam a prora, aut unde est sua cuique voluntas,
In navim insiliunt, et utrinque labantia transtra
Concutiunt: fracto disrupta arma omnia pendent
Cum velo; sequitur sub noctem maximus imber
Praecipitans caelo; ac fremitu sonat aequoris unda

Ventorum et furiis, lapidosa et grandine pulsa.
Vos tamen e fundoque rates attollitis imo,
Retrahitisque ipsos nautas e faucibus Orci.
Tum venti posuere: maris placida unda residit,
Atque aliae fugere alio per inania nubes,
Apparentque ursae reduces, atque inter asellos
Sublucens praesepe viris laeta omnia spondet.
O dilecti ambo, faciles mortalibus ambo,
Vos et equis citharaque et caestu et carmine clari.
Castoris, an laudes dicam Pollucis? utrumque
Laudibus extollam; Pollux tamen ante canatur.

Iam concurrentes scopulos, atque horrida Ponti
Ostia nimbiferi fugiens superaverat Argo,
Bebryciasque, ferens Divûm genus, attigit oras.
Nec mora: Iasoniae conferti navis utroque
Ex latere heroës descendunt pontibus altis,
Egressique toros sternunt per litora, et igni
Aptandos instant manibus versare lebetas.
At procul a sociis abiere per avia soli
Castor equis gaudens, et fusco lumine Pollux,
Immensamque nigro spectantes vertice sylvam
Invenere cavo praeruptae rupis in antro
Dulcis aquae fontem irriguum, quem subter ab ima
Tellure exilinnt alii vena ubere rivi
Argento et pellucenti assimiles crystallo:
Populeae circum frondes, pinusque virescunt,
Et platani steriles, et coniferae cyparissi,
Atque ministrantes laetum per prata laborem

Digitized by Google

Melligeris apibus quotquot nascuntur odori
Vere sub extremo flores. Heic aetheris axe
Sub nudo immanis vir sedem fixerat, ore
Terribilis; fractae duris cui caestibus aures,
Convexumque tumet pectus, spatiosaque terga
Obsita nigranti ferrugine, qualia magni
Pulsibus ostentant durati ex aere colossi.
Summo autem ex humero praestant robusta lacertis
Brachia nodosis, teretes ceu saepe videmus
Stare alveo in sicco lapides, torrentibus amnis
Quos vexit violentus aquis, longumque revolvit.
Tnm collum dorsumque infra villosa leonis
Pellis obit, nexuque pedum suspensa tenetur.
Huic pugilum victor Pollux ita fatus ab ore:

POLLVX

Quisquis es, o salve: quae gens has incolit oras?

AMYCVS

Ora ignota videns quî salvus degere possim?

POLLVX

Fide: nec iniustos, nec iniquo e sanguine dices.

AMYCVS

Fido equidem: neque enim hoc abs te mihi discere cura.

POLLVX

Efferus es, praecepsque furis, nimiumque superbis.

AMYCVS

Talis sum, qualem cernis: non haec tua tellus.

POLLVX

Nostra in tecta veni, donisque oneratus abibis.

Digitized by Google

AMYCVS

Nec des ulla mihi, nec tu hinc tibi munera speres.

POLLVX

Anne sitim hoc etiam prohibes extinguere fonte?

AMYCVS

Experiere, sitis si torqueat arida labra.

POLLVX

Argento, pretione alio dabis inde rogatus?

AMYCVS

Tolle manus solum contra tu solus, et acer
Sta pugil adverso figens pede crura, oculosque
Arduus intendens non astu parce, nec arti.

POLLVX

Quisnam est, quem contra caestusque et brachia tollam?

AMYCVS

Heic prope cernis: eum haud vilem certamine nosces.

POLLVX

Anne etiam pretium, pro quo certabimus ambo?

AMYCVS

Ipse tuus, tu noster eris, si vincere detur.

POLLVX

Tales sunt pugnae cristata fronte volucrum.

AMYCVS

Sive avibus mavis, seu forte leonibus esse
Assimiles, nobis haec durae praemia pugnae.
Haec Amycus; raucaeque inflans curvamina conchae
Insonuit: fusis semper per colla capillis
Ad sonitum Bebryces platani venere sub umbram.

Digitized by Google

Nec minus heroas celerans vocat ocyus omnes
Peliaca e navi Castor dux inclytus armis.
Illi autem, postquam taurinis fortia vinclis
Brachia cinxerunt, se circum et lora plicarunt,
In medio coëunt spirantes mutua fata.
Heic labor ingenti nisu premit acer utrumque,
Quis rutili accipiat post tergum spicula solis,
Aversamque tegat faciem? tu corpore magnum
Arte virum Pollux praevertis; et ictus acuto
Contra Amyci totus fulgebat lumine vultus.
Ille furens animi non se tenet, altaque ad ictum
Brachia protendit veniens, cui summa ruenti
Tyndarides ferit ora manu. Verum acrior ipse
Quam prius ad pugnam se suscitat, et super instat
Incumbens, iam iam vasto ceu pondere terrae
Adlidat: laeto Bebryces clamore sequuntur.
Parte alia heroës Pollucem hortantur, et ultro
Dant animos, pavidi, ne scilicet obruat illum
Vir Tityo assimilis campo congressus in arcto.
Tum vero ingeminans et laeva et vulnera dextra
Hinc atque hinc raptim natus Iove versat, agitque
Praecipitem validam Neptuni e sanguine prolem.
Ebrius ille autem plagis, crassumque cruorem
Ore vomens stabat: superas it clamor ad auras
Heroum circum malas circum ora videntum
Vlcera dira, oculosque tumenti in fronte minores.
Fessum incendebat vanis assultibus heros
Vndique proturbans: mox toto ut corpore sensit

Digitized by Google

Deficere, immani nares super irruit ictu,
Ac totam avulsit frontem tenus ossibus: ille
Saucius in viridi iacuit resupinus arena.
Heic tamen exoritur, postquam tellure levavit
Sese Amycus, rursum pugna aspera; namque furentes
Caestibus indomitis alterna in damna feruntur.
Irrita sed contra iactabat brachia pectus
Cervicemque extra Bebrycum dux; victor at alte
Foedabat Pollux indigno vulnere malas.
Iamque labant collapsi artus sudore, viroque est
Parvus ab ingenti factus: viget ille laborem
Vsque ferens melior membris, meliorque colore.
Qua tandem hoc monstrum natus Iove straverit arte,
Dic, Dea; nosti etenim: tantum ipse interpres ab ore
Expediam, velut alma iubes, placitumque volenti est.
Ille aliquod cupiens memorabile prodere factum
Implicuit laeva laevam Pollucis, ab ictu
Declinans longe obliquus; subit inde, manumque
E latere attollens dextro, lateri arduus instat.
Fors et Amyclaeum laesisset vulnere regem,
Ni caput avertens exisset, et insuper acri
Fregisset dextra tempusque humerumque sinistrum.
Continuo diffusus hianti e tempore sanguis
Emicuit; magno crepuerunt murmure dentes.
Tum magis atque magis pugnorum grandine malas
Vulnerat, ingeminans ictus, dum contudit ora,
Ora ambasque genas: quo saevo turbine stratus
Concidit exanimis, palmamque extendit utramque

Detrectans pugnam iam letho proximus heros.
Tu nihil indignum, victor fortissime Pollux,
Contra ausus: spectans ille autem ad caerula ponti,
Neptunumque vocans patrem, iuravit, ab illo
Hospitibus numquam fore sese tempore durum.

Hae sat Polluci laudes: te nunc ego dicam,
Castor equûm domitor, thorace insignis et hasta.

Tyndaridae fratres binas abducere raptas
Leucippi instabant gnatas: Aphareo patre nati
Hos propere gemini fratres, queis utraque pacta,
Pone sequebantur, Lynceus, et maximus Idas.
Vt vero sublime Apharei tetigere sepulcrum,
Desiliere ad pugnam altis e curribus omnes
Armati iaculis, protecti et corpora scutis.
Tum subito galea Lynceus exclamat ab alta:

Quis furor armorum? quae mens tam dira puellas
Non vestras propter saevire, et stringere ferrum,
O miseri? nobis longe ante prioribus istas
Pollicitus pater est; nobis connubia pacta
Firmavit magna testatus Numina voce.
Vos aliena tori nunc foede in iura ruentes,
Raptantesque unde unde boves armentaque equorum
Divitiasque alias, animum pervertere nostis
Leucippi, et nostros donis furari hymenaeos.
Certe ego sum, quamvis haud suetus plurima fari,
Haec eadem vobis ambobus saepe loquutus:
Indignum est tantos heroas ducere, amici,
Vxores, pacto iam sunt queis foedere sponsi.

Digitized by Google

Est ingens et Sparta, ingens atque Elis equestris,
Arcadia est ovibus foecunda, et Achaica tellus,
Messeneque, Argosque, atque omnis Sisyphis acta:
Innumerae patriis innuptae in sedibus illic
Nec forma indecores florent nec mente puellae.
Ex illis virgo vobis quaecumque petatur
Cedet digna: bonis quis enim socer esse recuset?
Heroës vos autem omnes excellitis inter,
Et vestri patres, patriusque ab origine sanguis.
Quare agite, ac laetum sinite hoc procedere nobis
Coniugium: vobis aliud curabimus una.
Haec ego dicebam: rapidi sed dicta per undas
Diripuere noti, nec gratia verba sequuta est;
Namque estis duri atque immites. Nunc quoque tandem
Parete o moniti; noster patruelis uterque es.
Quod si animus gliscit pugnare, et sanguine oportet
Consertaque odium ancipiti decernere pugna,
Idas, et consanguineus, vis martia, Pollux
Spectantes cessent; soli pugnabimus armis
Castor egoque una, florenti aetate minores.
Sic nostris et luctus erit genitoribus asper
Iste minus, tristique unum sat funus in una
Triste domo: sociis reliqui solatia vivant,
Extinctûmque loco potiantur sponsi hymenaeis.
Praestat clade levi magnam componere litem.
  Dixit; nec facturus erat Deus irrita verba.
Nam qui praestabant annis, e fortibus arma
Deponunt humeris, terraque infixa reclinant.

Digitized by Google

At clypei summo Lynceus hastile sub orbe
Fulmineum quassat, paribusque it Castor in armis
Iu medium: nutant utrique in vertice cristae.
Ac primum congressi infestas eminus hastas
Direxere, alter nudatam sicubi partem
Corpore in alterius videat: sine vulnere cuspis
Vtraque dissiluit, clypeoque infracta repulsa est.
Illi autem propius strictis mucronibus instant,
In caedemque ruunt: requies fit nulla pericli.
Multa-super clypeum Castor galeamque comantem
Vulnera dat; multa et Lynceus non segnis ad ictus,
Atque acies ferri cristas micat inter ahena.
Illius et saevo subeuntis poplite Castor
Ense metit dextram, cedens pede: saucius ipse
Abiicit extemplo ferrum, cursuque citato
Ad tumulum praeceps fertur genitoris, ubi Idas
Cognatae adclinis spectabat praelia pugnae.
Sed melior cursu per et ilia traiicit ensem
Perque uterum Castor, dissectaque viscera ferro
Intus agens spargit: subito cadit ille volutus
Ad terram, durusque oculos sopor urget inertes.
Nec tamen e gnatis miseranda in sede paterna
Laocoossa alium reducem ad connnbia vidit.
Namque columnam, ingens Apharei quae membra tegebat,
Avulsam e tumulo dum vult Messenius Idas
Caedis in auctorem fraternae emittere, portans
Iuppiter auxilium manibusque e marmore molem
Excntit, atque ipsum flammato fulmine sternit.

Digitized by Google

Vsque adeo cnm Tyndaridis contendere durum;
Sunt ipsi fortes, forti et genitore creati.
Salvete, o Ledae gnati; decus addite nostris
Aeternamque hymnis famam. Cari usque poetae
Tyndaridis, Helenaeque, altisque heroibus alta
Pergama qui exciderunt, flavo socia arma ferentes
Atridae. Vobis, o reges, Chins honorem
Iam peperit magnum vates, Priameia dulci
Moenia concelebrans cantu, navesque Pelasgas,
Iliacasque acies, pugnantnm et Achillea turrim.
Vobis ipse etiam Musarum haec suave canentum,
Qualia dant Divae, quornm et mihi copia parta,
Dona fero: melius nullum Diis carmine donnm est.

Digitized by Google

IDYLLIVM XXIII.

AMATOR INFELIX.

Vir facilis nimio succendi pectus amore
Saevam olim tota dilexit mente puellam,
Connubium sperare ausus taedasque iugales.
Illa procum formosa genas, at ferrea mores
Oderat; immiti mansuescere nescia corde:
Nescia quid sit Amor; quam diro saeviat arcu,
Spicula quam certo letalia dirigat ictu.
Effera nil unquam fecit, nil dixit amanti
Vnde foret parvum curae fletusque levamen.
Non roseam explicuit frontem, non gaudia laeto
Testata est risu, non blande lumina flexit.
Sed fera venantem spectat quo bellua vultu,
Illa procum semper metuens et semper acerba
Spectabat: durumque loquens dirumque minaci
Torva tuens oculo, bili et suffusa colore
Pallentem amisso faciem, spirabat ab ore
Atrocemque iram saevum et truculenta furorem.
Pulcra tamen vel sic miserum stimulabat amantem
Curam acuens magis atque magis; dum fracta doloris

Mole gravi mens est: longam nec pertulit ultra
Aerumnam; victusque animi fletuque profuso
Ora madens, venit tectum ad crudele: trementi
Limina tum labro tetigit; dein talibus inſit:
Saeva puella, ferae stirps immansueta leaenae,
Saxea; quam colui stultus, quam stultus amavi
Immeritam; huc veni tibi portans, impia, munus
Extremum; haec vincla meo quae nectere collo
Ipse paro: nolo iam te ultra laedere; nolo
Esse gravis posthac iratae; sed feror illuc
Damnasti quo me, ducit quo tristis amantes,
Vt perhibent, callis, longique medela doloris
Omnes una manet securae ad flumina Lethes.
Quae si tota bibam, tamen hanc extinguere flammam
Haud sperem, teque oblita dimittere mente.
Vestibulum interea iubeo limenque valere,
Nympha, tuum: ipse abeo: tibi quid formaeque futurum
Isti, non mendax augur praedicere possum.
Pulcra rosa est, collapsa brevi sed tempore marcet,
Et viola pulcra est, nuper sed nata senescit.
Candida sunt, prostrata solo sed lilia languent.
Candida nix etiam, manibus sed pressa liquescit.
Forma puellaris pulcra est, sed futilis annos
Ferre nequit, celerique levis dilabitur aevo.
Et tibi mox tempus veniet quum ſpreta dolere
Et fastum incipias iuvenum et fastidia ferre.
Nunc precor extremum hoc misero da munus amanti.
Pendentem in foribus quum me conspexeris hisce

Egrediens, gelidum ne transi ferrea corpus;
Sed paullum consiste; aliquot nec fundere iuxta
Lacrimulas pigeat, laqueoque exsolvere collum;
Iniectaque super contectum veste cadaver
Affari extremum, tristi et perfundere fletu.
Parce metu: quamvis mutata mente loquare
Mite aliquid, fletuque tuum testere dolorem,
Non erit ut superas veniam redivivus in auras.
Inde solo una meque meos et contege amores;
Atque abiens dic ter gemebunda: *Iaces miser.* Adde,
Si placet, hoc etiam: *Periit mihi fidus amator.*
Linquo etiam hoc tumulo possis quod scribere carmen;
Hunc Amor occidit: noli hac transire, viator:
Siste gradum; atque feram coluit, dic, iste puellam.
Sic ait: et toto connixus corpore saxum
Ingens ad medium subrexit limen; ab alto
Informis leti nodum et suspendit, et intro
Inseruit collum, saxum et pede reppulit; atque
Frigidus inflexa foede cervice pependit.
   Illa domo egrediens, foribus mirata reclusis
Spectaclum infelix, alto de limine corpus
Exanimum pendens; durum nec ferrea pectus
Molliit, extinctum se propter caede recenti
Nec flevit; vestemque incestans triste cadaver
Contigit e foribus dum prodit. Nec mora gressu
Inde cito fugit, patriae certamina luctae
Nota petens: puro et contractam abolere lavacro
Festinans labem. Numen quod laeserat illic

Digitized by Google

Nacta sed est. Labrum supra lymphasque Cupido
Marmoreus stabat; pila qui pronus ab alta
Desiluit, dirumque caput collisit: at undam
Purpureus tinxit sanguis: vox reddita ab imo est.
Gaude quisquis amas: noxam luit impia amantem
81 Quae sprevit; sceleri poenam Deus irrogat aequam.

Digitized by Google

IDYLLIVM XXIV.

HERCVLISCVS,

SIVE

HERCVLES ADHVC PVER.

B. Z.

Alcmene Mideatis ut aevi mense vigentem
In decimo Alciden, atque una nocte minorem
Iphiclum lavit; saturatos nectare lactis
Imposuit scuto, quod quondam insigne superbum
Amphitryo retulit Pterela in certamine caeso.
Hinc eadem mulcens puerorum colla superne,
O nati, dormite, inquit; sopor almus utrumque
Excipiat. Vos, o gemini, fortissima fratres
Germina, felices mea vita o carpite somnum,
Carpite, et auroram felices visite rursum.
Sic effata ingens scutum concussit: at illos
Texit blanda quies. Mox vero ut Oriona iuxta
Tendentem latos humeros se Parrhasis ursa
Vertit ad occasum media iam nocte, dracones
Caeruleis geminos horrentes corpora squamis,
Monstra infanda, malum Iuno meditata sub ipsa
Limina tectorum, surgunt ubi cardine postes,

Digitized by Google

Immisit, iussitque minans discerpere parvum
Alciden. Illi sinuantes caerula in orbem
Terga solo, cupidos expleri sanguine ventres
Volvebant ambo: dirus micat ignis euntum
Ex oculis, atque ora vomunt lethale venenum.
Iamque ubi lambentes linguis vibrantibus ora
Adstiterunt pueros iuxta, sopor ilicet ambos
Liquit, et ingenti (Iove cuncta vidente) refulsit
Luce domus, tollit clamorem Iphiclus, ut atra
Monstra super scutum vidit, dentesque minantum
Horrificos, ardensque fugae mollissima calce
Tegmina disiecit. Contra autem adversus utrumque
Corripuit manibus, nodoque innexuit arcto
Alcides fera colla premens, ubi clausa venena
Noxia stant colubris, quae Divi odere vel ipsi.
Illi autem magnis torquentes corpora spiris
Circumdant puerum crescentem tempore tardo,
Lactantemque, suae nec suetum spargere fletus
In gremio nutricis. Vt autem fessa labore
Terga gravi frustra sensere, ingentia rursus
Vincula solverunt, laxis e corpore spiris,
Nequicquam validos conati evadere nexus.
Audiit Alcmene clamorem, atque excita prima,
Surge, ait, Amphitryo, trepidam metus occupat ingens:
Surge age, nec soleas pedibus supponere cures.
Clamantemne audis natorum aetate minorem,
Atque intempesta nonne omnia nocte per aedes
Collucere vides, quin aurea fulgeat Eos?

Certe aliquid, vir care, domi haec portenta minantur.
Dixerat: ille toro surgit, dictoque monentis
Paret, et ardentem sese convertit ad ensem,
Olli qui thalamo fixus pendebat ad ipsum
Vsque caput: laeva capit apto cingula loro,
Ac dextra tollit vaginam e loto opus ingens.
Interea rursum caligine inhorruit atra
Parietibus latis thalamus, famulosque vocavit
Amphitryo iucundum efflantes ore soporem.
Ferte focis ignem, famulantum o fida meorum
Pectora, ferte cito correptum, et pandite firma
Limina: surge, operum patiens captiva iuventus.
Haec ille; et famuli lychnis ardentibus adsunt,
Continuoque impleta domus properantibus omnis;
Atque iidem, Alciden videre ut colla draconum
Angentem teneris manibus nodoque tenaci
Stringentem, trepidi clamarunt. Ille prehensos
Ostentat colubros genitori, atque exilit ardens
Laetitia puerili, extinctaque monstra retorqnens
Ipsius ante pedes iecit genitoris amati.
Laeta metu exanimum gremio complexa recepit
Alcmena Iphiclum: villoso in tegmine contra
Amphitryo Alciden posuit, thalamumque petivit
Dulcia iucundi capturus munera somni.
Iam volucrum cantu pars ultima noctis abibat
Pulsa procul veniente die, quum sedula vatem
Tiresian semper vera omnia voce profantem
Exciit Alcmene, natique recentia facta

Expediit, iussitque ferant quid talia monstra
Dicere: nec Divûm si quid mens laeva minatur,
Me veritus celes, neque enim mortalia corda,
Quod miseris nerunt Parcarum stamina, possunt
Effugere, Everida, inquit: tibi, maxime vatum,
Haud ignota loquor. Sic fata ubi regia coniux,
Ille refert: fide, o mulier clarissima prole
Magnanimi sanguis Persei: per lumen ademptum
Hoc ego dulce meum iuro tibi, Achaeides olim
Ad genua agglomerent manibus dum mollia fila,
Te passim sero celebrabunt vespere, teque
Nomine clamabunt; ibit tua fama per Argos.
Hic vir hic astriferum quondam ascensurus Olympum,
Progenies tua certa, heros fortissimus omnes
Ipse feras hominesque invicto robore vincet.
Ac postquam duro peraget bissena labore
Praelia, fatale est Iovis olli in sede manere,
Quodque habuit mortale, pyra id Trachinia tollet.
Quin etiam Divûm gener ipse vocabitur, illum
Qui contra tenerum monstra excivere nefandis
E latebris, venientque dies, quum laedere parcet
Hinnuleum cernens lupus asper rupis in antro.
Verum age iam, regina, adsit vis ignea praesto
Sub cinere, aspalathique iube super arida ligna,
Et paliuri, et saevo agitati flamine acherdi,
Atque rubi conferre: hoc secto in robore agresti,
Quum puerum voluere tuum male perdere, nocte
In media colubros incende. Hinc mane coorto

Vna ex ancillis cineres deportet ad amnem
Collectos, spargatque procul rapientibus auris
Per cautes subter praeruptas, tectaque visat
Haud usquam conversa retro. Tum sulfure puro
Cura domum primum suffire, ac spargere deinde
Fontis aqua niveo sale mixta et fronde virenti
Rite coronata, ceu mos lustrare penates;
Caelicolumque marem regi mactare memento
Sponte suem, semper vobis vincantur ut hostes.
Dixit, et abscedens currum conscendit eburnum
Tiresias longo frustra tardatus ab aevo.

At dulci sub matre, virens velut arbor in horto,
Alcides crescebat, ab omnibus Amphitryonis
Creditus argivi verum genus. Inclyta Phoebi
Progenies senior Linus illum nosse docebat
Litterulas, gnavus comes usque ac pervigil heros:
Arcum autem torquere ac certam aptare sagittam
Eurytus, a proavis longe ditissimus agri.
Mox etiam cantare, manuque impellere utraque
Texta Philammonides docuit testudinis aureae
Eumolpus. Quotquot vero generosa per Argos
Invenit pubes genuum curvamina et astus,
Calce premens valeat quibus hostem vincere; quotquot
Et pugiles saevis armati caestibus artes
Exercent stantes, ad terram aut pondere proni,
Omnia ab Harpalyco durae haec inventa palaestrae
Edidicit Phanopeo, cuius nec cernere vultum
Sustineat quisquam media pugnantis arena:

Digitized by Google

Tale supercilium metnendo horrebat in ore.
Iungere sed curru biiugos; et flectere iunctos
Alipedes metam circum, ne fervidus axis
Impete frangatur, radiosque in pulvere spargat,
Ipse suum docuit natum pater, auctus in Argo
Muneribus quondam largis; certamine equestri
Quippe leves currus agitavit saepe, nec nnquam
Indoluit fractas, quas olim victor agebat,
Ille rotas, longo laxis iam tempore vinclis.
Vt vero iaculum vibrare, ac terga cornsci
Protegere obiectu clypei ferrique minacem
Evitare aciem, bellantumque agmina campis
Instruere, ac caecos obsidere milite saltus
Conveniat, turmasque horrari, et currere in hostem,
Castor eques docuit, profugus quum venit ab Argis,
Tempore quo regnum late ditione solumque
Vitiferum Tydeus a magno accepit Adrasto;
Ledaeus Castor, quo non praestantior heros
Ante fuit, vires quam fregerit aegra senectus.
   Sic puerum instituens Alciden candida in omni
Arte parens formabat, et illi mollia nocte
Exuviae caesi praebebant strata leonis
Magnanimum inxta patrem. Tosti ignibus armi
Prandia erant, Dorumque in morem edncta canistris
Crassa Ceres, qua fossor et ipse expletus abiret:
Post tenuis rursum finita luce sine igni
Caena aderat; mediasque super fluitantia snras
Tegmina pendebant facili contexta minerva.

Digitized by Google

IDYLLIVM XXV.

AVGIAE OPVLENTIA,

VEL

HERCVLES LEONIS INTERFECTOR.

B. Z.

Amphitryoniades ingressus in Elidos oras
Ibat, et ingentes pecudum miratus in agris
Passim errare greges armentaque pinguia gressnm
Sustinuit, subitoque senem, quem forte laborem
Iuxta exercentem vidit, sic primus amicis
Affatus verbis: dic o mihi protinus, inquit,
Quisquis es, o pastor, cui regi maxima parent
Haec armenta boum, quove haec via ducit? an alta
Ad stabula Augiae, quem Sol pater aspicit aequus
Ante alios opibus cumulans ingentibus auctum?
At senior, cnra quod tum tractabat agresti,
Intermisit cpns, placidoque ita reddidit ore:
Vltro, hospes, tibi fabor ego quaecumque requiris,
Mercurii veritus grave Numen, saevior omnes
Caelicolas inter qui surgere fertur in iras,

Ferre viatori quisquam male durus egenti
Si neget auxilium. Non îsdem in saltubus herbas
Attondent omnes, nec in una sede morantur
Lanigerae pecudes Augiae regis: at illae
Irriguas propter ripas Elisuntis aberrant,
Illae autem Alphei sacrata ad flumina ludunt,
Buprasiique aliae prope consita vitibus arva,
Heic quoque sunt aliae: cunctis sua ovilia surgunt.
At vero quamvis latos effusa per agros
Exsuperent armenta modum, tamen omnibus una
Haec loca dant eadem viridantia pascua semper
Menii apud stagnantis aquas: nam roscida dulces
Prata ferunt herbas et laeta uligine circum
Pabula, cornigeris augent quae robora tauris.
Ad dextram tollunt sese stabula ardua: tota
Ecce tibi apparent placidi trans fluminis undas;
Qua platani densae viridisque oleaster inumbrant
Sponte solum, ramisque tegunt frondentibus, hospes,
Marmoreum Nomio, quo non praesentior alter
Divus adest, Phoebo positum de more sacellum.
Nec non et recto surgentia tramite cernis
Agricolis sua tecta, duci custodia fida
Immensas quae curat opes, et semina mandat
Terque quaterque unco proscissis vomere glebis.
Circum autem plantasque serunt, et bacchica dona
Fossores ad praela ferunt, quum praeterit aestas
Fervida, et expresso spumat vindemia musto.
Sunt etenim, quaecumque vides, haec divitis arva

Digitized by Google

Augiae, segetique bona arboribusque ferendis
Omnigenis tellus longe porrecta sub ipsos
Irriguos scatebris, extrema cacumina, montes;
Quae loca nos semper lustramus, ut exigit usus,
Assidua vernas qui cura exercet agrestes.
Sed mihi tu contra (quod et ipsi profore credo
Iam tibi) dic referens, quaenam huc te caussa venire
Impulit? Augias, famulantum an quaeritur ullus
Illius ad nutum qui stant? ego dicere gnarus
Nam possum tibi cuncta. Mala es de gente nec ortns,
Nec similis tute ipse malis, velut ista decoris
Signa docent manifesta tui: immortalia praestant
Germina mortales inter tanto oris honore.
Huic autem Alcides proles Iovis inclyta reddit:
Ipsum equidem Augian regem, ceu reris, Epeum
Visere nunc, senior, cupio; veni illius ergo.
Qui si inter cives patria forte urbe moratur
Prospiciens plebi rectique atque arbiter aequi;
Dic aliquis famulantum hinc me deducat in urbem
Hoc animis alios inter qui praestat in agro,
Quique meas voces audire, et reddere contra
Multa queat: Dii nos voluere, opis indigus alter
Vivat ut alterius. Sic ille, ac talia dius
Ore refert senior: Non laevo huc Numine Divûm,
Credo equidem, venisti hospes; perfecta videbis
Actutum, quaecumque foves sub pectore vota.
Huc etenim Augias Solis clarissima proles
Magnanimo Phyleo cum nato venit ab urbe

Digitized by Google

Hesterna sub luce, suas heic providus ipse
Inspecturus opes, quarum illi est maxima ruri
Copia: sic placitum quondam est et regibus ipsis
Res ultro curare suas, meliusque putare,
Si videant, salvas. Sed iam celeremus ad illum:
Monstrabo dux ipse viam, quae ducit in altum
Hinc stabulum, farique tibi cum rege licebit.
  Sic dicens praeit ipse, et multa in corde volutat
Exuviumque ferae aspiciens, nodosaque clavae
Robora quae dextram implebant; unde hospes hic esset
Quisve genus? iam iam gradientem et poscere avebat;
Sed tenuit sese, vocemque in gutture pressit
Effugere instantem, metuens ne incautius ore
Excideret dictum properanti: haud noscere pronum
Quippe homini alterius mentem sensusque repostos.
At vis fida canum, stabulo propiora tenebant
Quum loca, continuo venientem sensit utrumque
Atque pedum a strepitu atque emisso e corpore odore:
Incendunt rabidis latratibus aëra, et acres
Alciden contra diversa e parte feruntur
Diversi; contraque seni gannitibus instant
Vndique adulantes, quos saxis protinus ille
Terruit e campo raptis, ac vertere fecit
Terga fugae, increpuitque minans, nec non tamen intus
Gaudebat, fidens animi, custodibus illis
Omnia tuta domi se absente; ac talibus infit:
Quale animal Superi faciles, quam pectore fido
Hoc dederunt socium mortalibus! o modo et ipsa

Mens foret, ut nosset, cui irasci debeat, et cui
Parcere, non illi quodquam contendat honore:
Nunc temere nimium furiis ardescit et ira.
  Dixerat; atque ambo gressus in septa tulere.
Interea Sol vertit equos devexus ad oras
Hesperias, seraque domum iam luce redibat
Pingue pecus linquens florentia gramina, et una
Post alias aliae veniebant agmine vaccae
Innumero; nubes ut aquosae saepe feruntur
Threicii boreae vi pulsae, aut flatibus euri;
Non numerum quisquam caeli per inania certum
Nosse modumque valet; quot namque prioribus usque
Agglomerant rapidi violento flamine venti,
Imponuntque alias aliis: tam multa redibant
Vsque armenta boum latis cedentia campis.
Implentur turba venientum atque omnia prata
Atque viae, collesque sonant mugitibus icti
Vndique: stramineis niveae praesepibus agnae,
Flexipedesque boves sua sese in septa receptant.
Heic immensa licet diversa ad munera staret
Turba virûm; non ullus erat, quem lenta tenerent
Otia cessantem. Bene secto hic tergore loris
Aptat vincla pedum vaccis, atque ubera mulget
Plena manu; hic foetus submittere matribus instat,
Vt dulci de lacte bibant, quo turgida pastae
Vbera distendunt: alter mulctralia gestat,
Lac niveum premit alter, et alba coagula densat,
Aut intus tauros matrum e congressibus arcet.

Angias circum gradiens obit omnia, et acri
Invigilat cura lustrans, quas quisque parasset
Pastor opes: gaudens comes olli it filius una,
Herculis et virtus sapiens; iunctique sequuntur
Visentem sua regna opera inter agrestia regem.
At licet indomitam vim firmo in corde foveret
Amphitryoniades, et eodem robore semper
Septum animum; tamen ille videns tot millia circum
Multa boum, numero tanto turbatus et haesit,
Et stupuit, neque enim sibi quisquam inducere possit
In mentem domino pingues errare tot uni
Lacta per arva greges; denis quin diceret illos
Regibus esse aequo plures, quos noverit ullus
Ante alios pecorum fama viguisse per oras.
Hoc genitor nato munus concessit habendum
Eximium Sol ipse, ut agresti vinceret omnes,
Quot ferunt, pecudum gaza; semperque novata
Ipse armenta olli praesens augebat, et atram
Morborumque luem, saeva et contagia longe
Arcebat duro pastorum inimica labori.
Ergo plura boum semper melioraque in annos
Agmina crescebant omnes, foecundaque matrum
Ibat agris soboles vitulae fortesque iuvenci.
Stabant tercentum lunatis cornibus una
Matribus admixti candentes pinguia crura,
Biscentumque alii rufi, delecta iuventus
Ad venerem; quos inter erant capita alta ferentes
Bisseni niveo praestantes corpore cycnis;

Phoebo qui sacri lectique ex agmine toto
Pabula tondebant soli viridantia, et inter
Sese exsultantes mugitibus arva replebant;
Quumque ferae e densis armenta agrestia contra
Prodibant sylvis in campos, agmine facto
Primi illi cursu furibundo in saeva ruebant
Praelia terribili fremituque, ipsoque minantes
Aspectu caedem. Phaëton hos maximus inter
Robore praestabat membrorum ac fortibus armis
Atque animo: quem pastores, quod clarior omnes
Ante alios gradiens campis splendesceret, astro
Assimilem dixere. Ille ergo ut fulva leonis
Tegmina conspexit, magno irruit impete contra
Impavidum Alciden, laterique impingere frontem
Lunatumque caput voluit conatus: at heros
Illius instantis laevum cornu ilicet acri
Corripuit laeva, robustaque colla retorsit
Inflexa cervice solo, retroque repulsi
Terga gravis pressit: nequidquam ille arduus armos
Erigit intendens, pedibusque assurgit in auras.
Miratus vires rex ipse, et martia regis
Progenies Phyleus, circum mirantur et omnes
Pastores, tanto coram certamine viso.
Sed iam acer Phyleus et virtus Herculis una
Rura relinquentes tendunt vestigia ad urbis
Moenia: ubi primum, confecto tramite, parvus
Tenditur a stabulo qui vites inter, et atro
In nemore obscurus serpit per opaca locorum,

Sunt iter ingressi latum, tunc pone sequentem
Augides dictis Iove natum affatur amicis,
In dextrum inclinans humerum caput: Ipse ego de te,
Nunc animo ut repeto, iampridem audisse recordor
Quaedam, hospes, narrata: olim nam venit ab Argis
Aequoream linquens Helicen vir Achivus, ut ore
Monstrabat, viridi florens aetatis in aevo;
Atque hic tunc multos inter narrabat Epeos,
Vt quidam Argivûm sese praesente necasset
Attonitis monstrum agricolis immane leonem
Horrendumque ferumque, cavo qui insederat antro
Sacra in valle Iovis Nemeaei; nec tamen ipse
Scibat, an egregius foret heros natus in Argo,
An potius clara in Tirynthο, aut urbe Mycene!
Sic ille, atque ipsum Persei genus esse ferebat,
Si recte memini. Nunc vero haud credere possim
Aegialo e magna quemquam te praeter id ausum,
Namque et pellis, obit quae te latera ardua circum,
Indicium eximiae manifestum est laudis. At ipse
Dic age nunc referens tu primum, an fallor, an ille
Tute heros, quem iam multis praesentibus olim
Ex Helice veniens nobis narrabat Achivus,
Auguror ut reputans? dic et quibus artibus usus
Exitiale malum stravisti; unde excita pestis
Irrigua in Nemea sedit? nusquam Apidos ora
Tales alma feras, cupidus licet avia lustres,
Progenerat; sed enim tantum genus acre luporum
Fert eadem pinguesque apros ursosque feroces.

Digitized by Google

Quare etiam res visa magis miranda; nec omnes
Credere dicebant dignum, quod forte viator
Narrabat; vanumque etiam sub corde putabant,
Dulcibus et captos quaerentem fallere dictis.
Sic ait, ac medio deflexit tramite Phyleus,
Exciperet pariter gradientes semita ut ambos,
Et melius posset verba exaudire loquentis
Alcidae, tali retulit qui voce sequutus.
Quod primum cupiens, Augia o nate, rogasti,
Tutemet expensum bene nosti: cetera dicam,
Quando poscis, ego: tantum nescire fatebor,
Millibus e multis quod certo nullus Achivûm
Dixerit, unde furens tulerit sese horrida pestis.
Solum aliquem Divûm vexare Phoronidos arva
Coniicimus monstro hoc voluisse, quod impia Divos
Laesisset gens illa; etenim velut amnis inundans
Omnes Pisaeos late vastabat, et acer
Ante alios passis infandum Bembiniaeis
Terror erat, circum loca qui vicina tenebant.
Hoc me certamen primum tentare coëgit
Eurystheus, saevo cupiens me perdere letho.
Ergo manu flexumque arcum gravidamque sagittis
Accipiens pharetram pariter, clavamque rigentem
Cortice adhuc viridi, quam duro e stipite olivae
Inventae celsi sacrata Heliconis in umbra,
Evulsaeque ab humo ipsis cum radicibus olim
Feci habilem, his contra processi interritus armis.
Sed loca ubi horribili tetigi propiora leoni,

Corripiens arcum, nervumque ad flexile cornu
Intendens, volucris ferrum lethale sagittae
Applicui supra. Vigili tum lumine circum
Omnia collustrans speculabar, forte videre
Si possim prius ipse ferum, quam cernar ab illo.
Iam medio currum Sol altus agebat Olympo,
Illius et nulla vestigia parte notare,
Nec potui rugitum audire: haud ullus in agris
Pastor erat, durumve opus exercebat arator,
Poscere quem valeam: tutis incluserat omnes
Pallidus in stabulis captos formidine terror.
At non ipse prius pedibus frondosa quievi
Lustra sequi per montem, illum quam denique vidi,
Ac subito vires sum contra expertus. In antrum
Ille suum veniens sera iam luce redibat
Noctem ante umbriferam caesorum sanguine pastus
Tergoribusque boum: foedaverat undique multa
Caede iubas, rictumque informem, et squalida tabo
Pectora: tum longam exertans e gutture linguam
Mentum horrens lambebat. Ego nemoralibus umbris
Abditus e specula venientem, donec adiret
Me propior, tacitus servabam, atque ocyus ile
Intorsi in laevum gradientis cominus arcu
E resono telum frustra, quod dura subire
Haud valuit sub membra, virenti et gramine retro
Concidit absiliens. Ille autem exterritus ictu,
Protinus a terra fulvum caput extulit alte,
Et circumvolvens flammantia lumina paullum

Digitized by Google

Substitit, ostenditque in hianti gutture dentes.
Hinc etiam subito nervo stridente sagittam
Triste ferens, quod prima volasset vana per auras,
Emisi, ac medium direxi in pectus, ubi ipsa
Pulmonis sedes; sed nec tum pertulit ictum,
Irrita sed frustra cecidit lethalis arundo.
Iamque animo graviter commotus tela parabam
Tertia, quum torquens oculos me bellua contra
Aspera conspexit, longamque hirsuta revolvens
Ad genua immanis caudam se ad bella parabat.
Continuo rabie tumuere horrentia colla,
Arrectaeque comae fulva cervice stetere
Ira ardescenti; seseque inflexit in arcum
Attollens dorsi spinam, curvatus ab imo
Inguine per lumbos supra: ceu quando per artem
Multa faber gnarus caprifici fissile robur
Flectit, agitque domans prius igni, ut curribus aptet
Ille rotas teretem circum volventibus axem,
Saepe manu robur durato cortice flexu
Effugit in medio, et toto procul impete fertur
Exsiliens protensum: ita me contra incitus acri
Prosiliit ferus ore leo, discerpere membra
Discupiens correpta. Ipse autem e corpore amictum
Opposui duplicem praetendens, telaque laeva
Rapta manu, dextraque elatam ad tempora clavam
In caput impegi. Violento protinus ictu
Dissiluit vis dura oleae, geminasque pependit
In partes infracta horrendo in vertice. At ille

Concidit ex alto, prius ipsum desuper urgens
Quam steterim, ad terram; pedibusque trementibus haesit
Vertice nequicquam nutans: nox presserat ambos
Atra oculos, penitaque excussum in sede cerebrum.
Vulnere quo exanimem cernens victumque dolore,
Ante quidem in sese redeat quam vivus, et auras
Accipiat rursum, ferii restantia colli
Indomiti vincla ipsa, abiecto flexili et arcu,
Inflexa et pharetra in terram; dorsumque superne
Vi manuum valida pressi, ne versus acutis
Vnguibus arreptos laniaret corporis artus.
Tum super assistens impressis calcibus arvo
Crura pedum postrema afflixi, et utrinque revinxi
Incumbens genibus latera aegra iacentis, ut armos
Solveret exanimis. Non vis, non ullus in ore
Spiritus: extincti raptum in sublime levavi
Corpus ego, horrendamque animam niger abstulit Orcus.
Atque heic haerebam dubius, queis artibus usus
Detraherem monstri fulvam de corpore pellem,
Durum opus expertus: neque enim vel cedere ferro,
Vel poterat saxo, vel acuti robore ligni.
Tunc aliquis Divûm, credo, fuit auctor, ut ipsis
Vnguibus extincti longis, si vincere possim,
Tentarem: his facile detraxi aggressus, et altis
Exuvias humeris posui tutamen in armis.
Hoc fuit, o Phileu, Nemeaei triste leonis
Excidium, multas qui clades intulit olim
Gentibus et pecori late bacchatus in agris.

IDYLLIVM XXVI.

BACCHAE.

Inoque, Autonoeque, genas rubicunda et Agave
Tres thiasos ternae in montem duxere puellae.
Atque hederam, asphodelumque humilem, quernamque legentes
Certatim frondem, bissenas cespite vivo
Aras rite manu prato struxere patenti.
Tres Semelae de more, novem tibi, candide Liber.
Quaeque cavis inerant instructa et condita cistis
Deprompsere, sacris et laetae imponere flammis
Coepere, ut placitum Baccho, ut deus ipse magister
Monstrarat nuper. Rupe haec vesanus ab alta
Abditus in densa lentisci fronde videbat
Pentheus, sacra oculis ausus temerare profanis.
Prima virum Autonoe vidit; pedibusque repente
Horrendum exulnlans aras atque orgia Bacchi
Proruit, externo quae non fas cernere cuiqnam.
Ipsa furens dirum fremuit: fremuere fnrentes
Aeque aliae: celerare fugam conterritus amens
Ille, sequi Bacchae fugientem, vestibus alte
Crura super tractis per zonam. Quo furor iste,

Exclamat Pentheus; ruitis quo denique? Nosces
Ante ego quam dicam, Autonoe furibunda reponit.
At mater gnati caput abscidit, ore tremendos
Tollens mugitus, ut foeta in monte leaena.
Ino grandem humernm scapulae cum parte revellit,
Veutre super posito nitens pede: praeda nec impar
Autonoe cessit. Post has quodcumque relictum
Discerpsere aliae: nec magnae ad moenia Thebae
Vlla domum rediit largo non foeda cruore:
Luctum urbi e celso non Penthea monte ferentes.
Et bene habet: meritus poenam luit ille; dolere
Nec mihi fas, alii nec cuiquam, numine Bacchi,
Si, laeso, his etiam longe graviora tulisset,
Ac nono puer aut decimo periisset in anno.
Purus ego puris placeam: qui numina sancte
Sancta colit, praesens hunc Iupiter auget honore.
Culta domnm profert pietas, neglectaque perdit.
Salve, Bacche; Iovis caesa quem matre solutum
Altisoni magnum gessit femur: o bona, salve
Tn quoque, pulcra genas Semele: salvete sorores
Et Semeles, Cadmi proles; quas carmine multae
Laudavere olim, divum genus, Heroinae.
Quod vobis cunque est Baccho stimulante peractum
Ipse etiam laudo; nec fas reprchendere divas.

IDYLLIVM XXVII.

DAPHNIS ET PVELLA.

B. Z.

DAPHNIS

Illam Helenen claram pastor Paris abstulit alter:
Clarior haec Helene, quae me sinit oscula ferre.

PVELLA

Oscula vana, ferunt; ne tu, Satyrisce, superbi.

DAPHNIS

Vana quidem, sed vana placent tamen oscula nobis.

PVELLA

Illa ego iamque spuam, detersaque labra lavabo.

DAPHNIS

Sicne lavis tua labra? iterum sine dulcia libem.

PVELLA

Ferto mage haec vitulis, quam castae virginis ori.

DAPHNIS

Ne tumeas: fugiet, sopor ut, flos iste iuventae.

PVELLA

Vva placet vel passa, arens rosa servat odorem.

Digitized by Google

DAPHNIS

Huc age iam succede oleastro, unaque loquamur.

PVELLA

Haud veniam: ante etiam decepta audisse recordor.

DAPHNIS

Auditura meam syringa hac side sub ulmo.

PVELLA

Ista tibi placeat: non tristi carmine laetor.

DAPHNIS

Ah! taceas, ah virgo, ac respice Cypridis iram.

PVELLA

Iam valeat Cypris, modo me Latonia servet.

DAPHNIS

Ne dicas, ne te feriat, neu retia tendat.

PVELLA

Vt libitum, feriat: Dictynna haud lenta iuvabit.
Tolle manus: quod ni, discerpam protinus ora.

DAPHNIS

Haud fugies, virgo quem nulla effugit, Amorem.

PVELLA

Effugiam per Pana: iugo tu pressus acerbo es.

DAPHNIS

Deterior, metuo, ne te sibi ducat habendam.

PVELLA

Multi me petiere; inflexit pectora nemo.

DAPHNIS

Vnus ego e multis tua nunc connubia posco.

PVELLA

Quid faciam, dilecte? ferunt connubia curas.

DAPHNIS

Non curas, non damna, choros connubia ducunt.

PVELLA

Nonne suos perhibent nuptas trepidare maritos?

DAPHNIS

Illas imperium penes est: quem Nympha tremiscat?

PVELLA

Cura premit partus; gravis est dolor Ilithyiae.

DAPHNIS

Sed partus Dictynna levat, tua Diva, dolorem.

PVELLA

Gignere et horresco, pereat ne corpore forma.

DAPHNIS

Si gnatos paries, gnatos nova lumina cernes.

PVELLA

Annuero si forte, dabis quae munera digna?

DAPHNIS

Pascuaque haec, omnemque gregem, nemora omnia habebis.

PVELLA

Iura ergo, invita quod nusquam infidus abibis.

DAPHNIS

Pana tibi adiuro, non, si vel pellere tentes.

PVELLA

Vin' thalamos, vin' septa mihi, vin' condere sedes?

DAPHNIS

Stabunt iam thalami; pulcras tibi pascimus agnas.

Digitized by Google

PVELLA

Quanam grandaevum patrem qua voce movebo?

DAPHNIS

Nomen ubi audierit, connubia pacta probabit.

PVELLA

Dic nomen: vis blanda ipso est in nomine saepe.

DAPHNIS

Daphnis ego, Lycidas pater est, materque Nomaea.

PVELLA

Clara es geute satus: nec gens mea cedit honore.

DAPHNIS

Haud nimium celebrata; pater tibi namque Menalcas.

PVELLA

Iamque ostende nemns, tna stant ubi condita septa.

DAPHNIS

Huc age: florentes viden' alta mole cupressus?

PVELLA

Dum viso pastoris opes, vos pascite, caprae.

DAPHNIS

Pascite vos, tauri, dum Nymphae haec pascua monstro.

PVELLA

Quid facis, o Satyrisce? manu quid tangere certas?

DAPHNIS

Haec tua nnnc primum noscam flaventia mala.

PVELLA

Obstupui per Pana: sinn citus extrahe palmam.

DAPHNIS

Quid tremis? ah nimium timida es: mea, fide, puella.

Digitized by Google

PVELLA

Me iacis in sordes, formosaque tegmina foedas.

DAPHNIS

Vestibus ecce tuis substerno e vellere strata.

PVELLA

Heu! heu! et mitram removes. Cur vincula solvis?

DAPHNIS

Haec Paphiae primum supplex do munera Divae.

PVELLA

Exspecta: venit ecce aliquis; sonus impulit aurem.

DAPHNIS

Garrula sylva tuos memorat cyparissina amores.

PVELLA

Iamque adeo sum nuda: scidisti heu saevus amictum.

DAPHNIS

Ipse dabo hoc alium meliorem munus amictum.

PVELLA

Nunc spondes mihi cuncta; salem post forte negabis.

DAPHNIS

Ipsam animam sic o! tibi nostram immittere possim.

PVELLA

Ne saevi, Dictynna: tua est infida sodalis.

DAPHNIS

Bos Veneri cadet ictus, Amori intacta iuvenca.

PVELLA

Adveni huc virgo, modo nupta in tecta redibo.

DAPHNIS

Quin mater natorum altrix, non denique virgo.

Digitized by Google

Sic illi alternis inter se mollia dictis
Gaudia carpebant furtivo in cespite strati.
Nymphaque ubi exsiliit, capras per gramina visit,
Sparsa pudore oculos, atque intus corde micanti;
Ille autem voti compos armenta petivit.

Digitized by Google

IDYLLIVM XXVIII.

COLVS.

Pulcra Colus, lanae cultrix, magnumque domorum
Auxilium; quam casta bonis, memorabile donum,
Matribus inventam fertur donasse Minerva;
En age Mileti mecum alta ad moenia perge:
Cypris ubi in viridi canneto pulcra sacellum
Obtinet. Huc facilem cursum det Iuppiter, oro:
Nicia ut aspectu nostro laetetur, et aeque
Laeter ego, amplectarque virum, fudere venustae
Quem Charites partu felici suaviloquentem.
Illic te nivei prognatam dente elephanti,
Hospitis uxori comitem famulamque dicabo,
Ipse manu tradens: quacum tu multa virorum,
Multa puellarum facies velamina, vestem*
Omnigenam, ventos contra munimen et imbres.
Pinguia nam late pascentes prata, quotannis
Bis tenerae agnorum tondentur vellera matres
Theugenidi pulcrae; tam parvo tempore ponit
Finem operi; partemque domus non negligit ullam,
Curans quod dignum cumque est sapiente bonaque.

Digitized by Google

Non ego te ignavas dominae cessantis in aedes
Tradiderim, dulcis patriae mihi foedere iunctam.
Namque tibi patria est, Siculis Ephyreius heros
Quam posuit campis praestantem prole virorum.
At nunc tecta viri servans, cui Phoebus Apollo
Scire dedit morbos, morbisque inventa fugandis
Pharmaca, Mileto patriam mutabis opima,
Et Sicula antiquos versaberis inter Iouas;
Pulcra Colo ut pulcra cunctis praestare feratur
Theugenis; utque animo numquam vetus excidat hospes,
Hospes cui Musae, cui dulcia carmina cordi.
Quippe aliquis forsan te cernens: munere, dicet,
Gratia in exiguo non parva est; spernere nec fas,
Pendere nec parvi, quidquid donavit amicus.

Digitized by Google

IDYLLIVM XXIX.

AMORES.

In vino verum, ut perhibent, puer optime: potus
Vera loquar, promamque imo quae condita gesto
Pectore. Me nunquam dilexti totus: ob hanc rem
Nec totus vivo. Vitae pars una superstes;
Altera pars periit. Misero sed desine tandem
Esse dolor: audi et senior quae suadet amicus;
Cum tibi profuerint monitus, ut lauder et ipse.
Vnum fac nidum tibi ponas arbore in una,
Reptile quo saevum non unquam evadere possit.
Nunc vagus hunc hodie ramum, cras arripis illum,
Inde alium atque alium, studio variante, requiris.
Nam verbo si forte aliquis te laudet, amicus
Factus es huic subito, longo ceu cognitus usu
Iam foret, assiduus tres et conviva per annos.
At vetus interea tota de mente sodalis
Defluit, aut socios inter vix tertius haeret:
Teque videt magno subnixum incedere fastu,
Atque supercilio subitam praetendere nubem.
Sic vivas valeasque; comes, quem legeris, uni
Vsque mane, ac semper tibi consta; civibus isto
Laudari ut possis pacto, nec pendere poenas
Aligero, infidos contra qui saevit, Amori.

Digitized by Google

IDYLLIVM XXX.

IN MORTVVM ADONIDEM.

Moesta suum quondam Cytherea ut vidit Adonin
Exanimum pallente gena, squalente capillo;
Ducere aprum ad sese pharetratos iussit Amores.
Nec mora, per silvam dilapsi praepete penna,
Invenere feram; setoso et vincula collo
Iniecere. Arcto constrictam hic fune trahebat,
Hic saevus laxo caedebat terga morantis
Pone sequens arcu. Demissis bellua setis
Moesta ibat, Cyprin metuens tremefacta. Paventi
Cypris ait: talem talis tu bellua dente
Laesisti puerum? tu leto sternere nostros,
Sternere tu nostros ausus, foedissime, amores?
Cui fera: per te, inquit, iuro ipsam; per tibi sponsum,
Diva, tuum iuro; per vincla haec, perque volucre
Venatorum agmen, qui me huc traxere; cruento
Haud volui puerum truculentus laedere dente:
Sed Pario similem lapidi, signisque deorum
Admirans, arsi; vesano et, diva, furore
Concitus in cruri cupiens ferre oscula: res haec

Digitized by Google

Vna illum, res haec miserum me perdidit una.
Tu dentes (nocuere illi) nunc hosce secato,
Vt lubet (heu quid opus saevis mihi dentibus?) Id si
Non satis est, etiam labrum hoc abscidito utrumque.
Mota dea est, miseransque animo vincla omnia iussit
Solvere pinnigeros, aprum et dimittere, Amores.
Bellua sed Venerem catuli de more seqnuta est,
Nec voluit nemus in patrium et querceta reverti:
Quosque habuit saevo tristes in amore ministros
Admovitque foco dentes, ac torruit igni.

THEOCRITI

EPIGRAMMATA

LATINE CONVERSA.

Digitized by Google

EPIGRAMMATA.

I.

H. G.

Serpyllum densis foliis praesigne, rosasque
  Rorantes divis pono Novensilibus.
Alticomam laurum, celebrat quam Delphica rupes,
  Accipe sacratam, Pythie Phoebe, tibi.
At caper hic, qui nunc terebinthi brachia mordet
  Vltima, mox aras imbuet ille tuas.

IDEM.

R. C.

Hoc ego serpyllum, matutinoque madentes
  Rore rosas Musis servo Heliconiasin.
At laurum hanc nigram sacro tibi, Pythie Paean,
  Lauro cui rupes Delphica luxuriat.
Praeterea sacer esto, avide extremum terebinthi
  Villosus ramum qui vorat ille caper.

II.

D. H.

Candidus haec Daphnis, molli qui lusit avena
  Bucolicos hymnos, Pan, tibi deposuit:
Hos ternos calamos, iaculum, hinnuleamque, pedumque,
  Et peram, qua tot dulcia mala tulit.

IDEM.

R. C.

Candidus agresti pulcre qui lusit avena
  Haec tibi, Pan, Daphnis dona dat, hinnulei
Pellem, hastile, pedum, calamos, peramque, ferebat
  Olim qua parvus dulcia poma puer.

III.

H. G.

Dum vari in summis stant montibus, aequore campi
  Frondibus instrato te sopor altus habet.
Daphni pater, Faunus te captat, et ipse Priapus,
  Tempora sub crocea cui titubant hedera.
Et iam succedunt antro simul: effuge Daphni,
  Effuge, nec somno mergere, sed vigila.

Digitized by Google

IV.

H. G.

Quo via per quercus, pastor, te ducet, imago est
Lignea, nuper adhuc, ut puto, ficus erat.
Monstrum informe, tripes, cum cortice, et auribus orbum:
In Venerem foetum quod tamen inguen habet.
Simplice quod cingit structum pietate sacellum,
Et viret e saxo lapsa perennis aqua
Lauribus et myrtis et odorifera cupressu,
Quas circumplecti palmite vitis amat.
Illic et tremulis mulcentes vocibus aures
Congeminant merulae murmura, veris aves.
Flava nec adversum ramis Philomela dolores
Dulcisono cessat molliter ore queri.
Illic ergo sede supplex, facilemque Priapum
Exora, ne me Daphnidis urat amor.
Si datur hoc, praesens haedi cruor imbuet aras;
Daphnide sin potiar, victima terna cadet.
Tunc capro faciemus, ovisque sub ubere foetu,
Et vitula: placeant sic mea vota Deo.

Digitized by Google

V.

D. H.

Vis age per Nymphas gemina cantare cicuta
  Dulce aliquid? blandos arripiens calamos
Incipiam simul ipse: simulque bubulcus et ipse
  Daphnis ceratis ludet arundinibus.
Heic age post antrum quercus lateamus opacae:
  Qui iacet hic, somno Pan viduandus erit.

VI.

D. H.

Ah ah, Thyrsi miser, quid prodest lumina bina
  Humidulis frustra tingere lacrymulis?
Capra abiit, pulcher tibi foetus: abivit ad orcum:
  Nam lupus hanc duris unguibus impediit.
Vana canes resonant; quid prodest? illius ossa
  Vix superant raptae, vix superant cineres.

IDEM.

R. C.

Thyrsi, abiit (tristes quid prosunt iam tibi luctus?
  Vda quid heu seris lumina lacrymulis?)
Illa Orci ad sedes abiit formosa capella,
  Quam lupus hirsutis implicuit pedibus.
Multa canes latrant: abiit tamen illa; nec ossa
  Ipsi de tota, nec superant cineres.

Digitized by Google

VII.

D. H.

Venit et excelsam Mileton Paeone natus,
Cum medico cupidus vivere posse viro
Niciade: hunc sacris semper colit ille, et odoram
Protinus e cedro condidit effigiem.
Maximaque, Eetion, artis tibi praemia solvit:
Teque ferunt totas applicuisse manus.

VIII.

EPITAPHIVM ORTHONIS.

D. H.

Praecipit hoc Orthon Siculus: ne forte viator
Ebrius hybernae tempore noctis eas:
Namque ego sic iaceo: pro pulvere nempe paterno
Externa peregre contumulatus humo.

IX.

D. H.

Vitae parce tuae, tempestivusque, Viator,
Nauta, scias vitae tempora pauca tuae.

Digitized by Google

X.

IN EFFIGIEM MVSARVM.

D. H.

Effigiem hanc vobis Xenocles, pia numina, Musae,
 Effigiem statuit esse Novensilibus,
Musicus: haud aliter quis dixerit. Hinc sibi nomen
 Qui peperit, vestri quam memor ille fuit!

XI.

EPITAPHIVM
EVSTHENIS PHYSIOGNOMONIS.

D. H.

Eusthenei hic tumulus: mores dignoscere ab ore,
 Eque oculis mentem cernere doctus erat.
Nunc pulchre a sociis peregre est peregrinus humatus:
 Gratus ibi cunctis vatibus ille fuit.
Omnia quae decuit peregre tulit ipse sophista:
 Cui procul a patria turba propinqua fuit.

XII.

IN TRIPODEM BACCHO DEDICATVM NOMINE DEMOTELIS.

D. H.

Demoteles dux ille chori, tripodem tibi, Bacche,
Te quoque qui divûm delicias posuit,
In cunctis medium tenuit: victorque chororum,
Qui modicum, qui fas cerneret, unus erat.

XIII.

IN EFFIGIEM VRANIAE VENERIS.

D. H.

Publica non istaec Venus est: placare memento
Vranien, castae munere Chrysogonae
In thalamo Amphiclis, socii prolisque larisque.
His facilis quovis tempore vita fuit
A te principium ducentibus, o Dea: nam qui
Dulcia cumque colit numina, laetus agit.

Digitized by Google

XIV.

EPITAPHIVM EVRYMEDONTIS.

D. H.

Filiolum parvum liquisti: raptus et ipse
Vix iuvenis, nunc hic conderis Eurymedon.
Et tibi nunc sedes Heroum in sedibus: illum
Virtutis patriae nomine, turba colet.

XV.

IN EVNDEM.

D. H.

Cognoscam an precium ponas virtutibus ullum:
An referat laudes improba turba pares.
Huic tumulo, dices, bene sit: namque Eurymedontis
Tam leviter sacrum contegit ille caput.

XVI.

IN ANACREONTIS STATVAM.

D. H.

Imaginem, viator, illam conspice,
Et dicas simul ac domum redibis,
Anacreontis Teii vidi caput:
Si quis, dulce decus lyrae prioris.
Addensque, pueris gratus omnibus fuit,
Sic totum fueris virum locutus.

Digitized by Google

XVII.

IN EPICHARMVM.

D. H.

Linguaque ipsa haec Dorica est, vatesque qui Comoediae
Dux est Epicharmus.
Ex aereque ipsum, Bacche, pro vero hic tibi
Cives posuerunt.
Quem Syracusis locarunt in ter amplis maenibus:
Vt civibus aequum est.
Opum ille acervum possidebat, diligens
Persolvere cuique,
Multa certe quae forent pueris docebat usui.
Laus ampla sit illi.

XVIII.

EPITAPHIVM CLITAE,
NVTRICIS MEDEI.

D. H.

Hunc parvus tibi condidit, Threissa,
Medeius tumulum, qua fert via, dedicatque Clitae:
Illud fert precium beata nutrix
Quod puerum nutrivit: adhuc etenim Vtilis vocatur.

Digitized by Google

XIX.

IN STATVAM ARCHILOCHI.

D. H.

Archilochum ut cernas, sistas age, pristinum poetam,
Auctorem Iambi, cuius alta gloria
Domosque noctis tangit atque lucis.
Scilicet hunc Musaeque et Delius ipse amavit augur:
Hinc arte dexter ille, et exactus fuit
Eposque dicere, ad lyramque cantum.

XX.

IN STATVAM PISANDRI.

H. G.

Aeterni sobolem Tonantis illum,
Et dextra et domito leone notum,
Vatum quotquot erant ubique, primus
Pisander celebravit ex Camiro,
Cuius sunt labor Herculis labores.
Hunc ipsum pia cura civitatis
Hic, ut noveris, aereum locavit
Multis postea mensibusque et annis.

Digitized by Google

XXI.

IN HIPPONACTEM.

D H.

Hic hic poëta magnus Hipponax dormit.
Si sis scelestus, pergere ad tumulum noli,
Sin sis probusque, et e probis viris natus,
Tutus sedeto, si libebit, et dormi.

IDEM.

R. C.

Hipponax iacet heic poëta. Si quis
Es malus, moneo, procul recede.
Sin bonus, potes et sedere vatis
In boni, et placide cubare busto.

XXII.

AVCTORIS IN OPVS SVVM.

D. H.

Alter erat Chius: verum ipse Theocritus auctor,
E media fueram plebe Syracosia.
Natus Praxagorae, celebrísque in gente Philinae:
Carminis externi non mihi cura fuit.

FINIS.

VA1
1554015

83
H
95

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google